

Antiqvae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqua Monvmenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illvstrandam,
Nvnqvam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

Flacci Alcvini Epistolæ. Ex M. S. Monasterii S. Galli Nvnc Primvm Editæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](#)

FLACCI ALCVINI
EPISTOLÆ.

EX M. S. MONASTERII
S. GALLI NVNC PRIMVM
EDITÆ.

EPISTOLA PRIMA.

Ad Edilhardum Archiepiscopum.

PRO PATRI ET SANCTAE SEDIS PRÆ-
fusi Edilbardo Archiepiscopo humiliis Leuita.
Albinus salutem.

AUDIE NS vestræ salutationis verba dulcissima, & prosperitatis vestræ sanitatem, multis penitentiis, valde me gauisum esse fateor; Domini & Deinostri Iesu Christi deprecans tota mentis alacritate clementissimam pietatem, quatenus vestram longam custodiat prosperitatem, in augmentum sanctæ sua Ecclesiæ, ut per tuam deuotissimam doctrinam verbum vitæ æternæ currat & crescat, & multiplicetur numerus populi Christiani, in laudem & gloriam Saluatoris nostri. In quo opere te, frater sancte, laborare tota virtute obsecro. Et quanto plus appropinquat dies remuneratio- nis, tanto magis meritis tuæ felicitatem accumulare stu- deas.

Cogita quales habueris antecessores, doctores, & lumi-
nato-

A

nato-

UICANJ
SJJ
omg. m.
SIV
Z4

EPISTOLÆ

na totius BRITANNIÆ. Inter horum sacratissima corpora dum oraueris, illorum precibus certissimè adiuuaberis, si ab illorum vestigiis te nec seculi caduca blandimenta subtrahant, nec vani terrores Principum formidantem efficiant. Memor esto semper, quod guttur tuum tuba Dei debet esse, & lingua tua omnibus praeco salutis. Esto pastor, non mercenarius; rector, non subuersor; lux, & non tenebrae; ciuitas firma fide murata, non domus pluuii distracta; miles Christi gloriosus, non apostata vilis; pater praedicator, & non adulator. Melius est Dominum timere quam hominem; plus Deo placere, quam homini blandiri. Quid adulator, nisi blandus inimicus? amos perdit, seipsum & suum auditorem. Isti sunt qui consuunt pululos sub omni cubito, & oues Christi, morbias faciunt, non sanatas.

Virgam accepisti pastoralem & baculum consolationis fraternali; illam ad regendum, istum ad consolandum, ut in cœrentes consolationem habeant in te, & contumaces correctionem sentiant per te. Potestas iudicis est, occidere, tua vero, viuiscare. Quid times hominem propter gladium, qui clauem regni accepisti à Christo? Recordari quia passus est pro te; & non metuas loqui pro illo. Pro tuo amore clavis confixus pependit in cruce; & tu sedens in sella dignitatis tuae, ob timorem hominis tacueris? Non ita, frater non ita. Sed sicut ille dilexit te, ita dilige & illum. Qui plus laborat, plus mercedis accipiet. Si persecutionem patieris propter verbum Dei, quid beatius? ipso Domino dicente: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum celorum. Et: Ibant Apostoli à conspectu concilij, gaudentes, quoniam digni habitu sunt cotumelias pati proxime Iesu. Et: Non sunt condignæ passiones huius temporis.

Ezech. 13.

Matth. 5.

Act. 5.

Rom. 8.

poris, ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Si corripueris delinquentem, & ad tuam increpatiō-
nem corriget se, etiam tibi est merces apud Deum, & sibi
erit salus à Deo. Si te oderit increpantem, illi est damnatio, & tibi beatitudo.

Esto misericordia, pauperibus pater, omnibus
affabilis, donec intelligas, quid cuique respondeas: & sem-
per tua responsio sale sit sapientiae condita: non temeraria,
sed honesta; non verbosa, sed modesta. Sint tibi mores
humanitate præclarri, humilitate laudabiles, pietate ama-
biles: ut non solum verbis, sed exemplis erudias tecum vi-
uentes, vel ad te venientes. Sit manus tua larga in eleemo-
synis, prompta in reddendo, & cauta in accipiendo. Præ-
parati b̄i thesaurum in cœlis. Diuitiæ viri, de prædatio ani-
mæ illius. Quia beatius est magis dare, quam accipere. In-
uenimus unam pretiosam margaritam, demus omnia quæ
habemus, & emamus illam. Lectio sanctæ Scripturæ sa-
pius tuis reperiatur in manibus, ut & illa te saturare, & alios
pascere valeas. Vigiliæ & orationes assiduæ sint tibi;
eò magis, quo pro toto populo Christiano intercedere debes.
Locutus, inter Deum & homines stare, ut Deilega-
tiones deferas ad populum, & pro populi peccatis interce-
das ad Deum.

Facte, eius donante gratia, dignum, ab eo exaudiri.
Dignitas est in vita castitate, & prædicandi fiducia, ipsa at-
testante veritate: Sint lumbi vestri præeinerti & lucernæ
Luc. 12.
ardentes in manibus vestris: in lumbis castitatis sanctitas;
in lucernis prædicationis claritas designatur.

Memor esto, quod Sacerdos angelus Domini Dei est
excelsi; & lex sancta ex ore eius requirenda est. Iuxta quod
in Malachia Propheta legimus: Speculator quoque est in
Malach. 3.
excelsissimo positus loco. Vnde & Episcopus dicitur, quasi

EPISTOLÆ

speculator, qui omni exercitu Christi, prudenti consilio prouidere debet, quid cauendum sit, quidū agendum. Iste sunt luminaria sancte Dei Ecclesie, doctores gregis Christi. Iste in prima acie vexillum S. Crucis non segniter subleuare debent, & ad omnem impetum hostilis exercitus intrepidi stare. Hi sunt qui talenta, redeunte Rego nostro Deo Christo cum triumpho gloria ad paternam sedem, accepterunt; & reueniente eodem, magno iudici in die ultima discretionis rationem reddituri sunt, quantum quisque ex prædicationis labore lucratus esset in officio suo. Quapropter te ipsum, carissime frater, idoneum prepara ministrum sermonis Dei; alios quoque consacerdotes tuos admone diligenter, in verbo vitae cum omni instantia laborare, quatenus multiplici negotiationis lucro ante conspectum æterni iudicis, gloriofi appareant. Estote vnanimes in omni consilio pietatis, & constantes in omni iudicio æquitatis. Nullus vos humanæ dignitatis terror separat, nulla adulatio[n]is blandimenta diuidant; sed quasi acies castorum Dei firmissima unitate vos coniungite. Sic tandem concordia vestra terribilis apparet omni qui vult veritati contradicere, Salomone dicente. Frater si à fratre adiuuat, ciuitas firma est.

Vos estis, dicente veritate, lux totius Britanniæ, sal terræ, ciuitas super montem posita, lucerna super candelabrum eleuata. Item beato Principe Apostolorum attestante: Vos autem estis genus electum, regale Sacerdotium. Per vestræ vero prædicationis instantiam nos erimus, quod in eadem sequitur epistola: Gens sancta, populus acquisitionis; quatenus per vos virtus annuncietur illius, qui nos omnes de tenebris vocauit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei. Patres itaque nostri, Deo dispensante, licet Pagani, hanc

Proverb. 18.

Petr. 2.

hanc patriam bellica virtute primum Pagani possederunt. Quām grande igitur opprobrium est, vt nos Christiani perdamus, quod illi Pagani acquisierunt! Hoc dico propter flagellum quod nuper accidit partibus insulæ nostræ, quæ propè trecentis quadraginta annis à parentibus inhabitata est nostris. Legitur in libro G I L D I Brettonum sapientissimi, quod iidem ipsi Brettones propter rapinas & avaritiam principum, propter iniuriam & iniustitiam iudicium, propter desidiam & pigritiam prædicationis Episcoporum, propter luxuriam & malos mores populi, patriam perdiderunt. Caeamus hæc eadem nostris temporibus vitia inolescere; quatenus benedictio diuina nobis patriam conseruet in prosperitate bona, quam nobis in sua misericordia perdonare dignatus est. Ut hoc ipsum omnipotentis Dei largissima efficiat pietas, vos qui clauem regni cœlestis, cum Apostolis, ligandi soluendiq; potestatem accepistis à Christo, aperite assiduis prædicationibus portas cœli populo Dei; & nolite tacere, ne populi peccata imputentur vobis. Requirit enim à vobis animas Deus, quas ad regendum accepistis; & subiectorum salute, vestra multiplicatur remuneratio.

Pusillanimes consolamini, humiles roborate, errantes inviam veritatis reducite, ignorantes instruite, scientes exhortantes, & bonis exemplis vitæ vestræ omnes confirmate, contumaces & veritati resistentes virga castigate pastorali, ceteros baculo consolationis sustentate. Et si vñanimes eritis, quis vobis resistere poterit? Vel quis cum Deo pacem habebit, si prædicatoribus suæ salutis non obtinueret? dicente ipsa veritate ad prædicatores verbi Dei: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit. Item ad confortandos eos, illisque fiduciam ingerendam loquendi sermonis Dei, eadem veritas ait: Quodcumque

A 3 ligat-

Luc. 16.

Matthi. 11

EPISTOLÆ

6.
ligaueritis super terram , erit ligatum & in cœlis : & quod
eunq; solueritis super terram , erit solutum & in cœlis : Di-
uisa est potestas secularis , & potestas spiritualis ; illa portat
gladium mortis in manu , hæc clauem vitæ in lingua . His
Math. 10.

*Math. 13.**Rom. 1.**Dent. 26.**Ioel. 2.**Iacob. 5.**1. Petri 3.**1. Tim. 2.*

spiritibus quoque dicitur : Vbi sunt duo vel tres congregati
in nomine meo , ibi sum in medio eorum . Si Deus pro no-
bis , ait Apostolus , quis contra nos ? Si Christus in medio
fuorum , quis illis nocere poterit ? Idcirco vos Sacerdo-
tes fiduciam habere debetis prædicandi , ceteri verò hu-
militatem audiendi & obedientiam faciendi , quæ iubetis .
Illi , id est , seculares , sint defensores vestri ; vos intercessio-
res illorum , vt sit unus grex sub uno Deo Christo pastore ;
& fiat hæc paritia à bello nobis nostrisque nepotibus con-
seruata in benedictione sempiterna ; vt ex hac mereamur
ad illam peruenire quæ finem non habet , & est perpetua
pace beatissima .

Vt ad hanc peruenire mereamur , vos sæpius cum Moy-
se seruo Dei deuoto pectore dicite : Respic Domine de
Sanctuario tuo & de excelso cœlorum habitaculo , & bene-
dic populo tuo & terræ , quam dedisti nobis . Item cum
Propheta Ioël Domini cum lacrimis clamate : Parce Do-
mine parce populo tuo , & ne des hæreditatem tuam in op-
probrium gentibus . Apostolo Iacobo præcipiente , orate
inuicem , vt saluemini : multum enim valet oratio iusti al-
fidua . Item Petrus Apostolus : Omnes vnanimes in ora-
tione estote , compatientes fraternitatî , humiles & miseri-
cordes . Et vas electionis præcepit , pro omnibus oratio-
nes fieri , pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt
positi ; quatenus omnipotenti Dei gratia populo Christi-
ano tempora cum prosperitate concedat pacifica in laude
& gloriam sancti sui nominis .

Vth

FLACCI ALCVINI.

Vrbs aeterna Dei, terra sal, lumina mundi,
Bis sex signa poli, menses & ter quater anni,
Ctque diei horæ, lapidesque in stemmate Christi,
Vestra aperire polum poterit vel claudere lingua,
Doctores vite, magna & medicina salutis.
Vos fontes viui paradisi & fluminis sacra,
Vos decus Ecclesiae, populi spes, ianua lucis,
Inclita progenies, Salomonis nobile templum.
Per vos ô Patres, nostro sub tempore tota
Virtutum meritis fæcunda Britannia floret.
Vos simul vnanimes Christi defendite castra,
Et clypeo fidei celæ & superate nefanda.
Pectore concordes, fortes virtute superna,
Iudiciis iusti, humiles pietate modesta,
Doctores populi, ductores & gregis almi.
Semper ubique Deo vos vos estote fideles.
Multiplicate pio percepta talenta labore,
Maxima quod summo capiatuſ præmia cælo,
Cum Christo & Sanctis celesti regna tenentes.
Vosque mei memores Christus conseruet ubique.
Aebuime dicor ego, vestro deuotus amori.
O vos pastores patres sine fine valete.
Et tu sancte pater ô Ethelharde sacerdos
Nam valeas, vigeas, Christo donante, per ævum.



CC. A. V.
S. J. J.
omg. am.
S. I. V.
24

EPISTOLÆ
EPISTOLA II.

Edilredo Regi & Principibus populoque
Nordanhumbrorum gentis.

EXCELLENTISSIMO & ETHELREDO REGI
& amicis dulcissimis Osbaldo Patrio & Hosberlo Duci, &
omnibus fraternæ dilectionis amicis Alchuinus Leuita
æterna beatitudinis salutem.

SVAVITAS sancti amoris sæpius me cogit de antiqua admonere amicitia, de animarum vestiarum salute, & de fidei veritate, & de pacis concordia, quam habere debetis inter vos; quia amicitia, quæ deseripta potest, nunquam vera fuit. Amicus fidelis diu queritur, vix inuenitur, difficile seruatur. Vos, querens, inueni amicos, seruabo amicos. Nec dimittam, quos amare cœpi, & silingua taceat vestra de me, literæ tamen meæ non taceant de vobis, sed semper ad monitione deuotionis studio, quorum semper desidero prosperitatis salutem. Cogitate quis vos de multiplici liberauit tribulatione, quoties praesentem eius misericordia euasistis morte. Quoties de manu inimicorum erepti fuistis. Recordamini, quis vobis omnes perdonauit honores, quos largitus est: prosperitates contulit, sanitates largitus est, omnibus vos vestris fecit sublimiores. His omnibus bonis nolite ingrati esse, quia eorum gratia bonorum vitam merebitur sempiternam. Nec hæc felicitas huius seculi vobis æterna esse poterit.

Studete diligentissime, ut post hos honores terrenos celestes habere mereamini. Omnia huius seculi delectamenta velut volatilis fugient umbra; & solummodo manet in remuneratione bona, quod pro Dei amore egistis. Grandis enim via de terris videtur esse in celum; firmissima debet esse scala, per quam ascenditur. Facilis est casus

ad

ad inferna. Sed hæc facilitas magnam habet difficultatē, sempiternum siquidem ignem; qui vrit inextinguibiliter, cadens in illum. Difficultas verò ascensionis in cœlum magnum habet gaudium, dum peruenitur, quo ascendit, beatitudinem siquidem sempiternam.

Si fortè quæritis, quomodo quis ascendat in cœlum, vel quomodo cadat in infernum. Per mala igitur operauit homo ad inferna; per bona verò ascendit ad superna. Mala itaq; sunt opera delectatio carnalis, ambitio fæcularis, avaritia, & omnis concupiscentia mala, violentia, rapina, mēdacia, luxuria, fornicatio, inuidia, ebrietates, comedationes, inimicitia & superbia; dicente Apostolo: Qui talia agunt, regnum D E I non possidebunt, nisi in confessione & longa pœnitentia & eleemosynis multis emendentur. Vnumquodq; eorum, quæ enumeraui, regnum D E I claudere poterit & infernales pœnas aperire hominibus. Vx animæ, quæ ardentes flamas semper sustinere cogitur. Bona verò sunt opera, per quæ ascendere in cœlum possumus, charitas D E I, honor illius & timor, vigiliæ & orationes ad Dominum, dilectio hominum, & misericordia in homines, & remissio peccantibus in nos; iustitia in iudicijs, veritas in verbis, patientia in aduersitatibus; nemini reddere malum pro malo; eleemosynæ in pauperes; benignitas in omnes homines, pietas ad amicos, fides recta ad Dominum, spes firma ad illius bonitatem; modestia in vestimentis & omni vſu seculi: temperantia, continentia, in cibo et potu, in mente humilitas, in moribus honestas, in omni vita æquitas. Hi sunt gradus per quos cœlum ascenditur. Hi mores, qui faciunt homines laude dignos. Hæc opera, quæ gaudia merentur sempiterna. Hæc est sapientia vera, ut homo sibi præuideat, quomodo in æternum fæliciter viuat. Nullatenus homo perire poterit, sicut animal quodlibet,

B

libet,

CCANJ
SJJ
VM, 1711.
STV
24

libet, sed post hanc vitam victurus erit in æternum; bene propter bona opera; malè propter mala opera: quia D E VI vnicuiq; reddet secundum sua opera.

Nolite iniustas amare diuitias, quia omnis iniustitia vicitur à Domino. Et meliore est benedictio DEI, quam omnes diuitiae mundi. Quidquid in seculo amat, arrititur; quidquid pro DEO datur, habetur. Cui largus eris, si tuæ animæ tenax; vel quis tibi fidelis erit, si tu tibi ipse infidelis eris? Cur in aliū spem ponis, & tu tibi ipse benefacere non vis? Morieris ô homo, & omnia dimittes, quæ habes. Hic vis diues esse peregrinus, & parui temporis hospes, & non vis ibi diues esse, ubi semper eris? Præmitte tibi diuitias tuas, vt habeas in æternum, quod amas in sæculo. Construe tibi bonis operibus beatam domum. Quam miser erit, qui semper ardorius erit in igne, qui tenebris circumdatu horrendis, qui nihil audiet nisi voces flentium & stridentium dentibus, horroremq; qui nihil sentit, nisi flamas edaces & frigora ingentia & vermium venenatos dentes? Ut hæc horribilia, ô amice, euadere valeas, nullus tibi labor durus videri debet; vt ad illam beatitudinem peruenire merearis, æterna pace iucundissimam, æterna gloria felicissimam.

Nulla secularis ambitio, nulla carnis delectatio, nulla inimicorum vindicta impedit cursum tuum; sed curre dum lucem habes, operare dum dies est, quatenus ad lucem peruenias perpetuam, vt cum Christo & Sanctis eius regnare merearis ad gloriam sempiternam.

Non solum vos viri clarissimi, & filij charissimi his meis admoneo litterulis, sed & omnes dilectæ gentis principes, & diuersorum nominaseu Ecclesiasticæ pietatis ordinis, seu secularis potentiaz sublimitates, communis charitatis intuitu, quasi alumnus vestre dilectionis deuotus de-

precor,

precor, DEI diligentissimè obedire præceptis, prædicato-
ribus salutis vestrae subditos esse. Illorum est, (id est, sacer-
dotum) verba Dei non tacere. Vestrum est, o principes,
humiliter obedire, diligenter implere. Regis est omnes
iniquitates pietatis suæ potentia opprimere; iustum esse in
iudicijs, pronum in misericordia. Secundum quod ille
miseretur subiectis, miserebitur ei Deus. Sobrium in mo-
ribus, veridicum in verbis, largum in donis, prouidum in
consilijs; consiliarios habere prudentes, Dominum timen-
tes, honestis moribus ornatos. Oportet eum non cupidum
esse alienarum hæreditatum, non auarum, non violenter
rapientem, dicente Apostolo, Neque fures, neque auari, neque rapaces regnum DEI possidebunt. Etsæpe per rapinas
propria amittit; quia Deus gemitum exaudit oppressorum.

Legimus quoque quod Regis bonitas totius est gentis
prosperitas, victoria exercitus, aëris temperies, terræ abun-
dantia, filiorum benedictio, sanitas plebis. Magnum est
totam regere gentem. A regendo vero Rex dicitur, &
qui bene regit subiectum sibi populum, bonam habet a Deo
retributionem, regnum scilicet cœlestis. Valde feliciter
regnat in terra, qui terreno regno merebitur cœlestis. O-
rationibus vero & vigilijs eò instantius ad Deum insistere
debet, quod non pro se solummodo, sed & pro totius gentis
prosperitate Deum deprecari debet. Similiter principes
& iudices populi, in iustitia & pietate populo præsint, vi-
vidus, pupillus, & miseris sint quasi patres, quia æquitas prin-
cipum populi est exultatio. Ecclesiarum Christi sint de-
fensores & tutores, ut seruorum Dei orationibus, longa-
viant prosperitate. Ecclesia sponsa est enim Christi, &
qui eam violare nititur, vel rapere quæ sua sunt, vindicat
in eum Deus Christus sponsus sanctæ suæ Ecclesiæ.

Videtis quomodo perierint antecessores vestri Reges,

B 2

&

CLXV
SJJ
um, m,
SIV
24

& principes propter iniustias, & rapinas, & immunditias
vitæ: nec ab huiuscemodi mudi se peccatis criminū capi-
lum, Deum timentes, abstinuerunt; nec, quod peius est,
immanissima scelerum vulnera pœnitentiæ medicamen-
tis sanare curarunt. Computuerunt in peccatis suis, do-
nec repente terrore cecidit super eos iudicium Dei, &
tām infelicitate in conspectu omnium perierunt, quām im-
pudenter sine villa reuerentia pessimiſ ſe inuolui ſceleribus
non metuerunt. Heu quām miserè præsentem perdide-
runt vitam! Sed multo miserabilius in æternis cruciantur
tormentis. Timete illorum perditionem, & à talibus vos-
metipſos impietatibus obſeruate, in quibus illi perierunt.
Idem enim Deus ſuper veftra vigilat opera, qui illorum
non pepercit ſceleribus. Multi verò per rapinas & iniqui-
tates colligere geſtiunt, & neſciunt, quōd vtrumq; propter
auaritiam iniquam, & terrena cito perdunt bona, & cœle-
ſtia nunquam adquirunt.

Illiusmodi, vii fratres, vobis metipſis caute iniquitates,
quatenus Deum omnipotentē in præſentivita propitium
habere mereamini, & in futuro æternorum largitorem
bonorum.

Pacem habete inter vos, & benignitatem, & misericor-
diam, & iuſtitiam ad oēs homines; & caſtitatem corporis
cufodite veftri, vt Spiritus sanctus veftris habitet pectori-
bus; qui ſapiens vobis ſemp ſuggerat conſiliū, vſq; ab omni
defendat hoſte viſibili & inuifibili: veftroq; Domino fide-
les eſtote. Per veftram concordiam regnum dilatetur
veſtrum, quod ſæpe per diſcordiam minui ſolebat; dicente
ipſa veritate: Omne regnum in ſeipſum diuitum non ſta-
bit. Sicuti maxima imperia per diſfleſiones in teſtinis di-
lapſa decreſcebant, & ē contrario minima quæq; ciuitatis
cuiuſlibet vel prouinciæ; per pacificā concordiā regnum
cresce-

Matth. 12.

Vide Notas.

crescebat & proficiebat, & fortioribus sibi tandem impe-
ratabat regnis.

Timete flagellum, quod venit super Ecclesiam S. CVD-
PERTI, locū scilicet sanctissimum & multorum sanctorum
suffragijs diuicissimum, nunc verò miserabiliter à paganis de-
vastatū. Qui hoc non timet, & seipsum non corrigit, & pro
sua patriæ prosperitate non plangit ad Deum, carneum
non habet, cor sed lapideum.

Episcoporum est monasteria corrigerē, seruorum
Dei vitam disponere, populo Dei verbum prædicare &
diligēter plebem erudire subiectam; Laicorum est obedi-
re prædicationi, iustos esse & misericordes, quatenus di-
uina benedictio per suam magnam misericordiam nobis
nostrisq; nepotibus patriam in bona prosperitate conser-
uare dignetur, quam nostris parentibus per pietatis sua
dexteram perdonare dignatus est.

EPISTOLA III.

Domino Piissimo & Præstantissimo & o-
mni honore dignissimo David Regi.

FLACCUS ALBINVS VESTRÆ BEATI-
tudini æternam in Christo salutem.

VLCE DO sanctæ dilectionis vestræ omnibus ho-
ris etiam & momentis auditatem pectoris mei
abundanter reficit, & decoris vestri facies, qua
suos amabiliter considerare solebat, totas memoriae meæ
venas, cum magna iucunditate desiderabiliter implet, &
quasi multatum in corde diuinarum species, vestræ boni-
tatis nomen, & aspectus reconditur. Ideo mihi magna est
iucunditas, vestræ dulcissimæ prosperitatis audire lætitiam,

B 3

ad

CCAN
SII
omg. Ivn.
SIV
24

ad quam etiam cognoscendam , hunc puerulum , vt scitis ,
paruitatis meæ clientulum direxi : quatenus in salute subli-
mitatis vestræ , in gratiarum actione latus , laudem miseri-
cordiam Domini nostri I E S U C H R I S T I : non solum ego
ultimo seruulus Saluatoris nostri congaudere debeo pro-
speritati , & exaltationi clarissimæ potestatis vestræ , sed to-
ta sancta DEI ecclesia vnamodo charitatis concentu gratias
agere Domino D E O omnipotenti debebit . Qui tam pium ,
prudentem & iustum , his nouissimis mundi , & periculis
temporibus , populo Christiano perdonauit , clementissi-
mo munere rectorem , atque defensorem ; qui prava corri-
gere , & recta corroborare , & sancta sublimare omni intentione
studeat , & nomen Domini D E I excelsi , per multa
terrarum spatia , dilatare gaudeat , & catholicæ fidei lumen ,
in extremis partibus incendere conetur .

Hæc est , ô dulcissime David , gloria , laus , & merces tua
in iudicio diei magni , & in perpetuo Sanctorum consortio ,
vt diligentissimè populum excellentiæ vestræ à Domino
commissum corrigere studeas , & ignorantia tenebris diu
animas obcæcatas , ad lumen veræ fidei deducere coneris .
Nunquam optimis voluntatibus , vel bonis conatibus re-
muneratio diuina deerit . Sed qui plus laborat in volunta-
te DEI , plus mercedis recipiet in regno DEI . Tempus hu-
ius vitæ velociter currit , fugit , & non respicit . Ineffabilis
verò DEI pietas , humano præuidebat generi , breuitet la-
borare , & æternaliter coronari . Ideo preciosa nobis de-
bent esse tempora , ne perdamus per negligētiā quod per
bonæ vitæ exercitium habere potuerimus æternū . Neo
tantum diligere aliquid potuerimus in terra , quātum ama-
bitur requies in cœlo , quam qui tunc habere concupiscat ,
bonis nunc operibus promereri contendat . Omnibus ita-
que communiter regni cœlestis ianua patescit ; sed illis in-
trato .

trare conceditur, qui cum multiplici bonitatis fructu ad eam festinant.

Ego FLACCVS vester secundum exhortationem, & bonam voluntatem nostram, aliis per recta S. MARTINI sanctatum in olla scripturatum ministrare satago. Alios, vetere antiquarum disciplinarum mero ineibriare studeo. Alios, Grammaticæ subtilitatis enutrire pomis incipiam. Quosdam stellarum ordine, ceu picto, cuiuslibet magnæ domus culmine, illuminare gestio: plurima plurimis factus, ut plurimos ad profectum sanctæ DEI Ecclesiæ, & ad decorum imperialis regni vestri crudiam: ne sit vacua DEI omni potenter in me gratia: nec vestre bonitatis largitio inanis. Sed ex parte desunt mihi seruulo vestro exquisitiores eruditio-
nis Scholastica libelli quos habui in patria per bonam, & deuotissimam magistri mei industriam, vel etiam mei ipsius qualem cunque sudorem. Ideo hæc vestræ excellentiæ dico, anne forte vestro placeat totius sapientiæ desiderantissimo consilio, vt aliquos ex pueris nostris remittam, qui excipiāt inde nobis necessaria quæq; & reuehant in FRANCIA M flores BRITANNIÆ, vt non sit tantummodo in Euborica, hortus conclusus, sed in Turonica emisiones para-
disi cum pomorum fructibus: vt veniens Auster perflare hortos Ligeri fluminis, & fluent aromata illius, & nouissime fiat, quod sequitur in Canticō, vnde hoc adsumpsi paradigmā: Veniat dilectus meus in hortū suum, & comedat fructum pomerum suorū, & dicat adolescentulis suis, Come-
dite amici mei, & bibite, & ineibriamini charissimi. Ego dormio, & cor meum vigilat: Vel illud exhortatiuum ad sapientiam descendam, Isaiæ prophetæ elogium: Omnes Isaie 55
sipientes venite ad aquas, & qui non habetis argentū, pro-
perate, emite, & comedite: venite, emite absq; argento, &
absq; vlla commutatione vinum & lac.

Hæc

Cant. 4.

Isaie 55

Hæc sunt quæ vestra nobilissima intentio non ignorat, quomodo per omnes sanctæ Scripturæ paginas exhortamur ad sapientiam descendā, nil esse ad beatam vitam sublimius adipiscendam, nil ad exercitium iucundius, nil contra vitium fortius, nil in omni dignitate laudabilius etiam, & secundum philosophorum dicta, nil ad regendum populum necessarius, nil ad componendam vitam in optimos mores melius, quam sapientiæ decus, & disciplinæ laus, & eruditioñis efficacia. Vnde & de laude illius, sapientissimus explanat Salomon; Melior est sapientia cunctis preciosissimis, & omne desiderabile, ei non potest comparari.

Proverb. 8.

Hæc est, quæ humiles exaltat, quæ sublimes honorat. Per illam, reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per illam principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. Beati, qui custodiunt vias eius; & beati, qui vigilant ad fines illius quotidie.

Ad hanc enim omni studio descendam, & quotidiano exercitio possidendum exhortare, Domine rex, iuuenes quosq; in palatio excellentiæ vestræ: quatenus in ea proficiant, ætate florida; vt ad honorem caniciem suam perdere digni habeantur; & per eam ad perpetuam valeant peruenire beatitudinem. Ego verò secundum modum ingeniali mei, apud seruos vestros, in his partibus seminare sapientiæ grana segnis non ero, memor illius sententia: Mane semina semen tuū, & vespere non cesset manus tua; quia nescis, quid magis oriatur; hoc, an illud; & si vtraque simul, melius est.

Multa florentibus per ætatem studiis seminai in Britannia. Nunc frigescente sanguine quasi, in Francia seminare non cesso. Vtraque enim, Dei gratia donante, ori optans. Mihiique fracto corpore solatio est sententia: HIERONYMI, qui ait in epistola ad Nepotianum: O-

mnes

Iudeo. iii.

mnes penè virtutes corporis mutantur in senibus; & cre-scente sola sapientia, decrescent cetera. Et post paullum: Senectus verò eorum, qui adolescentiam suam honestis ar-tibus instruxere, & legem Domini meditati sunt die ac no-ste, ætate fit doctior; vsutrior; processu temporis, sapi-entior; & veterum studiorum dulcissimos fructus metit. In qua epistola, de sapientiæ laude, & veterum studiis, plura potest, cui placet, legere; & intelligere, quantum veteres in decoro sapientiæ florere, studuere.

In hac, vestram Deo amabilem, & vitæ laudabilem, sem-per proficere & gaudere agnoui diligentiam, & nobilitatē secularis prosapiæ, maiore mentis nobilitate exornare. In qua Dominus noster IESVS CHRISTVS, qui est virtus, & sa-pientia DEI, te custodiat, & exaltet, & ad gloriam beatæ & perpetuæ visionis suæ peruenire faciat.

EPISTOLA IV.

Adeundem.

GRATIAS agimus clementissimæ bonitati vestræ, dulcissime DAVID, quod nostræ paruitatis memo-riam habere digneris, nobisq; innotescere, quæ famulus vester fidelis insonuit auribus. Nec in hoc solo gratias referimus continuas vestræ pietati, sed in omnibus bonis, quæ mecum ex die, qua paruitas mea vobis nota fa-ta est, perfecit. Optimè incepistis, sed melius consumma-tis. Quapropter continuis precibus Domini nostri IESV Christi clementiam deprecor, quatenus qui tibi optima quæque in terrena felicitate concessit, longè meliora, æ-ternæ beatitudinis regna tibi æternaliter concedere di-gnetur.

Plurima vestræ venerandæ dignitati præsens suaderem,

C

si

si vel vobis oportunitas esset audiendi, vel mihi eloqua-
tia dicendi: qui calamus charitatis, cordis mei arcana in-
stigare s̄epius solet de vestræ excellentiæ prosperitate tra-
ctare, & de stabilitate regni vobis à D e o dati, & de profe-
ctu sanctæ Ecclesiæ C H R I S T I , quæ multimoda improborū
perturbata nequitia, & scelestis pessimorum ausibus macu-
lata, non in personis tantum ignobilibus, sed etiam in ma-
ximis, & altissimis; quod metuendum est valde.

Nam tres personæ in mundo altissimæ hucusque fu-
re: id est, Ap̄ostolica sublimitas, quæ beati Petri principis
Apostolorum sedem vicario munere regere solet. Quid
verò in eo actum sit, qui rector præfatæ sedis fuerat, mihi
veneranda bonitas vestra innotescere curauit. Alia, est
imperialis dignitas, & secundæ Romæ secularis potentia.
Quām impie gubernator imperij illius depositus sit, non
ab alienis, sed a propriis, & conciubibus, & biq; fama crebre-
scit. Tertia est regalis dignitas, in qua vos Domini nostri
I E S U C H R I S T I dispensatio rectorem populi Christiani di-
sposuit, ceteris præfatis dignitatibus potentia excellentio-
rem, sapientia clariorem, regni dignitate sublimiorem.

Ecce in te solo tota salus ecclesiarum Christi inclinata
recumbit. Tu index scelerum, tu rector errantium, tu co-
solator mœrentium, tu exaltatio bonorum. Nonne Ro-
mana in sede, ubi religio maximè pietatis quandam clarue-
rat, ibi extrema impietatis exempla emeruerunt? Ipsi cor-
dibus suis excæcati, excæcauerunt caput proprium. Nec
ibi timor DEI, nec sapientia, nec caritas esse videtur. Quid
boni ibi esse poterit, ubi nihil horum trium inuenitur? Si
timor D e i esset in eis, non auderent. Si sapientia, nun-
quam voluissent. Si caritas, nunquam fecissent. Tem-
pora

pora sunt periculosa, olim ab ipsa Veritate prædicta: quia *Mattib. 24.*
refrigescet charitas multorum. Nullatenus capit is cura
omittenda est. Leuius est, pedes dolere, quam caput.
Componatur pax cum populo nefando: si fieri potest,
relinquantur aliquantulum minæ, ne obdurati fugiant,
sed in spe retineantur, donec salubri consilio ad pacem
reuocentur. Tenendum est, quod habetur: ne propter
acquisitionem minoris, quod maius est, amittatur. Ser-
uetur ouile proprium, ne lupus deuastet illud. Ita in alien-
nis sudetur, ut in propriis dampnum non patiatur. Olim
vestra sanctissimæ pietati de exactione decimarum di-
xi. quia fortè melius est, vel aliquanto spatio ut remit-
tatur publica necessitas, donec fides in cordibus radici-
tus inoleat: si tamen illa patria, *Dei electione digna*
habetur.

Qui foras recesserunt, optimi non fuerunt Christia-
ni, sicut in plurimis notum est: & qui remanserunt pa-
triæ, in fæcibus malitiæ permanserunt. Nam Babylon
propter peccata populi, dæmonum deputata est habita-
tio, ut in prophetis legitur.

Nihil horum tuam latere poterit sapientiam, ut pura
ta in sanctis Scripturis, vel secularibus historiis te appri-
mè eruditum esse nouimus. Ex his omnibus plena tibi
scientia data est à *Deo*, ut per te sancta *Dei* ecclesia in
populo Christiano regatur, exaltetur, & conseruetur.
Quanta tuæ optimæ deuotioni merces exhibeat à *Deo*,
quis edicare poterit? quia nec oculus vidit, nec auris au-
diuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit *Deus*
diligentibus se.

CCJ
SJJ
OMg Jm.
SIV
24

EPISTOLÆ

Mitîs ab ætherio clementer Christus olympo,
 Teregat, exaltet, protegat, ornet, armet.
 Mens mea congaudet, bonitas iam vestra fidelis
 Optima quod regem suscipit ipsa senem.
 Hæc precor aspiciat clementilumine nostras
 Litterulas, scripsit quæ pietatis amor.
 Sidera sancta poli, viridus vel gramina terræ,
 Omnia conclamant, DAVID ubique vale,
 Terra, polus, pelagus, homines, volucresque, feræq;
 Concordi acclament vox, Valeto Pater.

EPISTOLA V.

Benedicto, atque omni sapientia decorato,
 præfulgido Dauid regi.

FLACCUS ALBINVS IN CHRL-
sto salutem.

LICET proximè ad clementiam vestram, gemina
 scripta direxerim: quorum vnum debitum saluta-
 tionis impleret officium; aliud, cuiusdam respon-
 sionis iura teneret, tamen occasione vestræ beatitudinis li-
 terarum accepta, respondere utrisque conuenit, quas lumi-
 ne & scientia & veritatis indagatione plenas veneranter ac-
 cepi; & magno gratiarum actionis studio Dominum be-
 nedixi, qui virtute fidei & rationis experientia, vestræ pie-
 tatis pectus abundantiter implet: ita vt in eo prærogatiu-
 sacerdotalis doctrinæ, voluntas pietatis, & regalis potentia
 splendescere comprobetur maximè. Quia fides catholi-
 ca, quæ vbique debet esse vna, & in nullo dissimilis, per ve-
 stram sanctissimam solitudinem, sotiris schismatum er-
 toribus, prædicari, & pollere dignoscitur. Et quantum re-

gni potentia prælatus, tantum sapientiæ decore, & sanctæ religionis feroce omnibus præcelsum.

Felix populus, qui tali principe gaudet, in cuius prospexitate salus cunctorum consistit, in cuius hilaritate, omniū animus gaudebit, ut dictum est: In hilaritate regis, vita. Cuius solium dissipat iniquitatem, cuius vultus reuerentia Prouerb. 6. usque conseruat ad æquitatem. Nam quod olim Apostoli patres suis scriptis in confirmatione fidei catholicæ, diversis mundi partibus peregerunt, hoc vestra sanctissima solicitude implere non cessat.

Hoc mirabile, & speciale in te pietatis, Dei donum prædicamus, quod tanta deuotione Ecclesias Christi, à perfidorum doctrinis intrinsecus purgare, tueri, niteri: quanta forinsecus à paganorum vastatione defendere, vel propagare conaris. His diuibus gladiis vestram venerandam excellentiam, dextra laevaq; diuina armauit potestas. Victor laudabilis, & triumphator gloriosus existis. Vnde & ad interioris pugnæ genus, meæ paruitatis deuotione provocare voluisti, cuius certaminis sudori libenter succubui, ut in libello, quem vestræ nuper direxeram pietati, agnosci poterit: licet necdum vestræ auctotitatis sigillo eundem libelli tenorem confirmatum cognouerim: & hoc reor vel tarditate portitoris, vel angustia temporis gestum esse; nullatenus solita bonitatis vestræ consuetudo in pluribus hoc agere literulis recusat, quod in rarioribus fecisse compertum est.

Chartulas verò calculationis cursus lunaris, vel bissextilis preparationis, quas nostræ deuotioni tradidistis explorandas; inuenimus erga mensurationes diligentissime exquisitas, acutissimè inuentas, nobilissimeque prolatas. Et quod mea olim deuotio de bissexto paucis inchoauit ratiunculis, vestra sagacissima indagatio, copiosè compleuit.

C 3

Quam-

CCAN
SJJ
om, m,
SIV
24

Quamuis considerandum sit cur in quibusdam mensibus ad eosdem dies in anno secundo, vel tertio, vel quarto, computus cursus solaris non peruenisset. Item facilior, & expeditior lunaris cursus supputatio posse inueniri videtur: licet hæc optima, & acutissima, usque ad unum scrupulum, vel siliculum distinctè, & cautè currere intelligatur. Direxi excellentiæ vestræ stamen quarundam supputationum, de foliis, lunæq; per signiferum cursu, cui si vestri acutissimi sensus subtemen addere placuerit, forte pueris palatinis contra frigus imperitiæ, aliquid vestimenti genus texi poterit, sicut in prioris texturæ meæ etiam ordinatione fecisse probaueras.

Testaris meum esse, de terraq; tremendo, vel glebis pulululentis, auri effodere atomos: Vestrum est, regale diadema gemmis sapientiæ præfulgidum venerando gestare in vertice, quatenus laudabilis potentia omnium floreat gener virtutum, & multiplici meritorum laude ad cœlestis regni gloriam, Christo regente, atque donante, peruenire mereatur.

Vinere me terris, vix vix finit improba febris;

Et me cœlestes scandere vultis uer.

Per campos, colles, herbas, & prata, virentes;

Querere fugiebit dum mibi cara salus

Vestra, repente poli iusserit me sidera summi:

Infirmis pietas scandere iam pedibus:

Signaque zodiaci distinguere partibus alio;

Et quis conueniat ordo, locus, numerus.

Hippocratis campos nonne esset, pollice, pluris;

Cum pueris Flacco iam peragrare suis:

Quam radio Crati, cæli describere signa:

Vel luna, & solis dinumerare dies?

Sed

Sed tamen, ve cecinuit præclarus commates yates,
 Omnia vincit amor: nos quoque vincat amor.
 Descripsi paucis partes, & sidera cœli,
 Te mandante, meo pectore magnus amor.
 Nunc videat pietas, si quid sit, vestra, probandum:
 Pumice radendum an, pagina quidquid habet.
 Iudice te, nullum, si nunquam fallit imago
 Iam metuens fugiam, DAVID, in orbe decus.
 Hæc vestro fuerint forsani digna fauore;
 Mox maiora, reor, incipit ipse senex.
 Si DEVS æternus vita super addet et annos:
 Et bonitas cuius, quidquid habemus opus.
 Chartula percurrens colles, camposque liqueentes,
 Distichon hoc cantet semper in ore suo.
 Cugeat, exalte vestram benedictio vitam
 Eterni regis, (David) amate DEO.

EPISTOLA VI.

Dominu preuissimo, & præstantissimo
 DAVID Regi.

FLACCUS CHARITATIS CALAMO
 vulneratus salutem.

RATIAS agimus venerandæ pietati vestræ, quod libellum secundum vestræ iussiōnis præceptū vobis directum, auribus sapientiæ vestræ, recitari fecistis; & quod notare iussistis errata illius, & remisisstis ad corrigendum, quamvis à vobis melius emendari potuisset. quia alterius iudiciū, in quolibet opere plus serpissimè valet, quam propria auctoris. Minus tamē quiddā fecistis, quam plenū postulasset charitatis officiū: quod sensus nō docte prolatos, vel catholicè exaratos, similiter noluistis notare; dum quædā suspi-

CC. N.
 SJ.
 My. 112.
 SV.
 24

suspicio mihi, ex serie sagacissimæ chartulæ vestræ, nobis innotuit; non omnia probanda esse, quæ ibi lecta fuerint: quia defensores eidem operi vestræ excellentiæ dirigere iussisti: dum nullum magis idoneum meæ paruitatis dicta habere possint defensorem, vel emendatorem, quæm vos metipos. nam auctoritas præcipientis, obedientis industriam defendere debet.

Quod verò in literis, vel distinctionibus, non tam scholasticè currit, quæm ordo, & regula artis Grammaticæ postulat; hoc sæpe velocitas animi efficere solet. Dum legimus, intentio oculorum præcurrere festinat officium. Nec ego, capitis dolore fatigatus examinare possum, quæ subito casu ex ore dictantis volant. Et qui sibi alterius negligenter imputari nolit, non imputet alteri.

Disputationem itaque FELICIS CUM SARACENO, nec vidi, nec apud vos inuenta est, immo nec audiui nomen illius. Antea tamen, dum diligentius quæsiui, si quis ex nostris famam illius audisset, dictum est mihi, quod apud Laidradum Episcopuni Lugdunensem inueniri potuisset. Quapropter sub festinatione direxi missum nostrum, ad præfatum Episcopum, si forte ibi inuenire potuisset, ut citissimè vestræ præsentia dirigeretur.

EPISTOLA VII.

Domino dilectissimo, atque omni honore dignissimo David Regi.

FLACCUS VETERANVS MILES PER-
petuam in Christo salutem.



I T E R A S prosperitatibus vestræ, & consolationis nostræ, magno amore, & digno fauore suscepimus, omnipotentis clementiam collaudantes, qui vos, fidelesq;

delesque vestros prosperis successibus pollere fecit, & inimicos sui nominis, vestrae potentiae subdidit pedibus. Hoc enim faciat Deus, & hoc addat, ut triumpho terroris vestri inimicas vndiq; subiiciat gentes, & suauissimo sue dilectionis iugo, in Christiana fide fero cissimos subiiciat animos.

Quod vero vestrae benignitatis literae Flacco taciturnitatis culpam ingerunt, quem feruor angustia desidem, non voluntatis efficacia pigrum efficit.

De pueris vero nostris, quos pedibus paternis Romam pergere præcipit, velim scire, quando, vel ubi, vel quibus comitantibus, beatitudini vestrae occurtere debent. Sed & de hoc quidem mihi impropere voluistis, me fumo sordentia TYRONORVM tecta, auras Romanorum arcibus præponere. Scio vestram legisse prudentiam, Salomonicum illud elogium: Melius est, inquit, sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa in domo communi. Et ut pax dicta, Magis ferrum nocet oculis, quam fumus: TIRONIS enim fumosis tectis contenta Deo donante per vestrae bonitatis prouidentiam, in pace permanet: Roma vero, qua fraterna discordia initia est, mistu dissensionis venenum hucusq; tenere non cessat, vestraeque veneranda dignitatis potentiam, ad huius partis cognoscendam perniciem e dulcibus Germaniae sedibus festinare compellit.

Nos vero lacrymis absentiam, & precibus iter vestrum continuis prosequimur, diuinam humiliter obsecrantes clementiam, quatenus suos, vestrosque simul, cum omni prosperitate sanos ducat, & reducat gaudentes. Vestrae vero pietatis literae, nullatenus consentio, ut obliuiscantur mei, sed saepius venient in spiritu consolationis, ut osculentur iterum, iterumque relegantur, & in cordis thesauro perpetua dulcedine conseruentur.

Proverb. 21.

CCM
SII
omg. 172.
SIV
24

D

Tem-

Tempora concedat Christus felicia regni
 Huius & eterni, David amate, tibi:
 Det tibi consilium pacis simul, atque salutis,
 David amor populi, Christus ubique pius:
 Omnipotens cuius defendat duxera semper,
 Victorem faciens teque, tuosque simul.
 Nomen ut eternum roto laudetur in orbe:
 Illius ex vobis pro pietatis ope.
 Aspice cunctorum vita spes, forma salutis,
 Qualiter ad vosmet tota recessat ouans.
 Quis Christus venit, redeat iam latet ad urbem,
 Per pia dona patris, consiliumque sacrum.
 Quod petit inueniens, quidquid sperauit adeptus.
 Hinc Christo laudes hymnidicas referens.
 Qui mundo talem tribuisset tempore nostro,
 Rectorem sacra regmine iustitiae.

EPISTOLA VIII.

Ad fratres Lugdunenses.

RE LIGIOSÆ in Christo conuersationis vestræ per
 Lairadum electum Pontificem, laudabilem au-
 diens solitudinem, magno me esse gaudio dele-
 statum fateor. Quia Christus, fons totius bonitatis, tales
 adhuc in his diebus, quando multorum refrigescit caritas,
 sui sancti nominis habet confessores; qui onera secularium
 occupationum abiicientes, leue Christi iugum propriis im-
 ponere ceruicibus gestiunt; & veram, quæ foras timorem
 mittit, caritatem & pectoribus suauiter retinent, & operib.
 veraciter ostendunt. Sed nunc tota hilaritate mentis, cœ-
 pti itineris cursus peragendum est. Quia, qui perseverauer-
 it usq; in finē, hic saluus erit. Quia si torpens pigritia clam
 boni operis irrepserit, mox malitia palam mali operis suc-
 crescit.

Origo

Matth. 10.
¶ 24.

Origo est iniquitatis, amissio bonitatis: & dum suæ voluntatis sequitur homo affectum; mox diuinæ seruitutis perdit effectum. Inde primi angeli ruina fuit, qui in sua gaudens potestate, à Summo se declinavit Bono. Et qui gloriolior fuit à ceteris in conditione, factus est miserior omnibus in perditione. Vnde se superba mens erigit, inde maximè deiicitur. Ideo præcipue necessaria est Deo seruientibus humilitas, & obedientia. Per humilitatis grad⁹, ad culmen peruenitur sublimitatis. Christus suis parentibus legitur esse subditus, ut nōs humilitatis suæ exemplo ad bonum informet obedientiæ. Quæ est Monachorum vita, nisi charitas, humilitas, obedientia? Hæ sunt semitæ, quæ ad æternæ arcem ciuitatis euntem deducunt in eis. Catholica fides, quæ per dilectionem operatur, comitatur cutrentem in istis.

Nouas verò fratres charissimi HISPANICI erroris sectas tota vobis cauete intentione: Sanctorum Patrum in fide sequimini vestigia, & vniuersali Ecclesiæ sanctissima vos adiungite unitate. Scriptum est, Terminos patrum tuorum ne transgrediaris. Et Symbolo catholicæ fidei noua nomina nolite inserere; & in ecclesiasticis Officiis, inauditæ prisca temporibus traditiones nolite diligere: per Apostolicæ doctrinæ publicâ strata, nec per diuerticula cuiuslibet nouitatis, ad dexterâ vel ad sinistram à via regia declinate.

Sunt etiam versus beati AMBROSI Episcopi de ternarij numeri excellētia nobilissimi, quos ad confirmationē trinæ mersionis huic epistolæ inserere placuit:

*Omnia vigent sub maiestate Tonantis:
Tres, Pater, & Verbum, sanctus quoq; Spiritus, unum:
Trinas crucis species scrutaris, unam redemptrix.
Tertia lux Dominum remeantem à morte, recepit.*

D 2.

Trina

CC. M. J.
S. I. S.
Omnia
S. I. V.
24

Trina dies Ionam tenuit sub viscera ceti.
 Tres pueri cernunt Dominum flagrante camino.
 Ter Sabaoth Sanctum referens benedictio psallit.
 Ter mergendus aqua est, cui gratia plena lauacrum.
 Testibus adstabilis constat tribus actio cuncta.
 Terno mense suis redeunt sua tempora membris.
 Tres sunt ætates, flos, & rubor, ægra senectus.
 Tres medij in causis, iudex, defensor, & actor.
 Tres in secula gradus; ortus, transcurso, finis.
 Tres spem quæ palpan, requies, lux, gloria vite.

De observatione verò sanctissimi sabbathi, quod Dominicæ resurrectionis diem præcedit, vnde interrogasti, dignum nobis videtur, ut omni veneratione habeatur iucundus. & quidquid aliis diebus in quadragesimalibus cœpulis, seu salutis causa, seu necessitate qualibet cogente, videntur fiat, in eo die non respuendum esse, nobis videtur dignum: non ad satietatem gulæ, sed ad venerationem sanctitatis. Non itaque Deus tantum requirit, quid manducemus, quantum consideret, qua facilitate abstineamus ab interdictis, vel quæ modestia vtamur concessis. In omnibus his temporum ratio, & fraterhi amoris conuenientia obseruanda est. Ideo Dominum in Euangelio legitimus diximus, dum de Ioannis abstinentia, parabolam angelorum proposuit dicens: Et iustificata est sapientia à filiis suis: id est, filij sapientiae intelligunt, in omnibus rebus ubique modestiam rationabilem, & concordiam pacificam esse laudabilem. Quæ etiam cuncta, vestra sanctitas, fratres charissimi, in opere melius agnoscitis, quam nos verbis proferre valeamus.

Vos verò cœptum salutis æternæ iter, magna deuotio ne mentis, & corporis peragite, quatenus ad perpetuam cœle-

Matth. 11.

celestis gloriæ coronam peruenire mereamini: meq; in sanctis orationibus vestris obsecro, vt familiariter habeatis. Multum valet deprecatione iusti assidua, iuxta Apostolum Iacobum; quanto magis multorum fratrum. Deus secrerorum testis nouit, quantum vos proficere in omni bonitate desidero, & de huius mortalitatis ærumnosa miseria, ad æternitatis gaudia transire concedat. Huius vero epistolæ exemplar fratribus qui in insula LIRINA Deo deserunt, vt dirigere faciatis, deposito, quia illi meam parvitudinem de eiusmodi questionibus interpellare curabant.

Jacob. 5.

EPISTOLA IX.

(Nomine Caroli Magni ad Nicephorum
Imp. Constantinopolitanum.)

VM in omni humanæ actionis initio Domini sit auxilium inuocandum, maximè in hoc, quod modo inter nos Deo mediante agitur, negotio, Domini & Salvatoris nostri IESU Christi omni modo sunt imploranda suffragia: vt qui nomine illius signati sumus, & in dispensatione passionis eius ab æterno mortis periculo nos redemptos esse confidimus, ea quæ ipso inspirante inchoamus, ad honestum, & utilem perfectionis terminum perducere mereamur; in cuius nomine, atque honore legatum fraternitatis tuæ, quæ ad bonæ recordationis filium nostrum PIPINV M regem misistis, ARSATIV M scilicet, gloriosum spatariū ad nos cum verbis, & literis tuæ, benignè atq; honorifice suscepimus. Et quamuis ad nos missus non fuisset, veluti ad nos missum, adhibita diligenti cura, & audiuius, & cum eo, de his, quæ detulit, quia prudentem animaduertimus, colloquitionem habuimus. Nec imme-

D 3 ritò,

UCCANUS
S. J. J.
om. 1711
SIV
24

ritò, cum tanta esset, non solum in literis, quas attulit, sed etiam in verbis, quae ex ore illius nostris auribus insonuerunt, optatæ ac semper optandæ pacis copia, ut valde nos & quibuscunq; Deum amantibus huiuscemodi legatio placere potuisset: quæ vtique tanto fuit charitatis, ac pacis furo respersa, ut in palato cordis cuiusque fidelis veram possent sapere dulcedinem; possetq; iudicari penitus insipienti cui talia videntur insipida.

Propter quod postquam illum in fines regni nostri pervenisse comperimus, veluti præscij optimæ, ac Deo complacitæ legationis eius, temperare nequiuimus; oportunitatem ad nostram præsentiam venire fecimus: maximè tamen, quod is, ad quem illum missum esse constabat, dilectus filius noster PIPINVS Rex, diuino iudicio iam rebus humanais exceperat; neque nos illum cum infecto negotio tanto ad quod perficiendum directus erat, vacuum reuerti, patuimus.

Et non solum propter hoc, sed etiam quod ex tempore, quo primo imperij tui anno, MICHAELM Metropolitanum, & populum, Assiduum Abbatem, Callistum, quæ gloriosum candidatum, ad constituantem nobiscum pacem, & foederanda, atque adunanda hæc duo in Christi charitate, longæua tua misit dilectio.

Veluti in specula positi, longa fuimus exspectatione suspensi, præstolantes, siue per legatum, siue per epistolam, quando meritorum scriptis nostris, amabilia fraternitatis tuæ responsa susciperem. Iamque, ut se habet humanæ metis infirmitas, prope desperatio cordi nostro incipiebat oboriri: Sed fidentes, sperabamus in eo, qui nunquam deserit sperantes in se, quod secundum Apostolum, labor nostrer in ipso vacuus, & inanis esse non deberet: ac desiderium nostrum, quod, vt confidimus, ipsius inspiratione concipi mus.

* Tb. ff. 3.

mus, secundum diuitias misericordia^x su^x, complere, &c. ^{Philip. 4.}
 quandocumq; ad effectum perducere deberet. Idcirco au-
 dito aduentu memorati legati dilectionis tu^x, Arsatij glo-
 riosi spatarij, magnoper^e gausi sumus, confidentes, nos de
 rebus incertis ad optatam certitudinem peruenturos, & de
 his, quæ prædictis missis tuis ad te perferenda dedimus, re-
 sponse esse recepturos. Et revera ita factum est. Sensi-
 mus enim ex parte mea, quod desiderabamus, ad comple-
 tionem votorum nostrorum, diuini fauorem auxilij, & in
 verbis, ac literis, quæ per legationem memorati legati per-
 lata sunt, quamvis ad filium nostrum scripta, & directa es-
 sent, non minimam nos desiderat^e responsionis accepisse
 portionem.

Proinde omnipotenti Deo, non quales debuimus, sed
 quales potuimus, gratias agimus, q; cordi dilectionis tu^x,
 quam quæsiuimus, ac desiderabilē pacis voluntatem inspi-
 rare dignatus est, orantes secundum Apostolum, ut Devs, ^{Philip.}
 qui vobis in hac pace, velle, tribuit, ipse perficere tribuisset.
 Propter quod nihil morates, sed omni cunctatione, ac du-
 bitatione penitus abiecta legatos nostros præparauimus ad
 tuam amabilem fraternitatem dirigendos.

EPISTOLA X.

Domino desiderantissimo, & omni sapien-
 tiæ decore clarissimo, David Regi.

FLACCUS ALBINVS, PERPETVÆ
 pacis, & gloria salutem.

SOLEN^T itaque de fonte charitatis s^apius verba
 fluere salutationis; vel, si longinquitas terrarū vo-
 cis officia neget, apices dilectionis atramento for-
 mati multoties recurrent.

Idcir.

CCAS
 SII
 Omnia 1717
 SIV
 24

Idcirco supplici voto deprecor, ut liceat nostræ paruitati chartulam, ad vestræ auctoritatis præsentiam sæpius recurere, ferentem quæ vel vestræ sapientiæ iocunda, vel nostræ paruitati necessaria esse arbitremur, & opportuna tēpori. Flaccus vester legatur in literis, qui quondam audiēbatur in verbis.

EPISTOLA XI.

Domino dulcissimo, & verè dilectissimo
DAVID magnifico, atque à D E O
coronato Regi.

*FLACCUS VETERANVS MILES PER
petuam salutem.*

LOETISSIMA mihi literarum vestrarum chartula occurrit, febricitantem refocillans, dormientem resuscitans, imò & inertiam morbo torpente, ad antiquas studens reformare vires, & dulcem versificationis melodiam, inter horribiles armorum strepitus, & inter raukos tubarum sonitus admonuit miscere: quatenus truces animorum motus, aliqua musicæ suavitatis melodia mulcerentur: et si vestræ mentis nobilissima stabilitas, in una eademq; soliditatis Archa secū perpetualiter permaneat, & in mediocritatis libramine incōcussa fortitudine vigeat, tamen ut puerorum sœvitia vestrorum, cuiuslibet carmina dulcedine mitigaretur, voluisti etiam, & hoc ipsum sapiissimo consilio præuidistis. Quia sæpe iratæ mentis asperitas, salubris consilij non inuenit affectum, sicut assidua quoque mollices animi eneruare solet fortitudinem. Sed inter hæc morborum genera medio tramite prudens temperamentum consistit; inde tumentem furorem mitigans;

hinc

Hinc, desidem animum erigens, & via regia, in pacis consilio cuncta componit. Quod, militantibus, virtutis genus maximè necessarium esse, in antiquis historiarum libris legimus: ut cuncta, sapiens temperantia, quæ agenda sint, regat, atque gubernet.

Nam tria videntur in hoste consideranda: Virtus, dolor, pax. Primo, an publica virtute vincit aduersarius. Si autem ad fraudes, & ingenia, dolos, res referenda est. Et, si nec hoc proficit, tunc pacis consilio, inimicitarum odia esse delenda videntur. Tamen si immites animos aliquid Flacciana valeat fistula mulcere, omni solicitudine esse reor, secundum oportunitatem temporis & personæ perficiendum. Ego verò Flaccus tuus interim vado perficete fideliter cum omni instantia, quod vestra dulcissima auctoritas mihi per MAGENFREDVM fidelem vestrum demandare voluit. Et sciat certissimè bonitas vestra, quod nullus, maius desiderium habet, sicut iustum est, vestri auxiliij supplementum implere.

Igitur amicus dicitur; quasi animi custos, id est, qui animum amici sui, cum omni solicitudine fidei studet custodi-
re integrum; quatenus nullatenus sacrum amicitiae ius al-
licubi violetur. Et hoc, rari sunt, qui intelligunt. Pænè v-
nusquisque secundum animi sui qualitatem, non alterius
animi, qui amicus est huius, satisfactione, amicitiam custo-
dire querit. Et si hoc in amico, & coæquali diligenter ob-
seruari debet, ut in uiolata animi integritas permaneat illius,
quanto magis in domino, & in tali persona, quæ suos sub-
ditos, omni honore exaltare, & gubernare amat? Veterum
itaque proverbialis fulget sententia: Amicus diu queritur,
vix inuenitur, difficile seruatur. Et in sancta Scriptura: ami-
co fidei nulla est comparatio. Nunc igitur, quam diu
quaesiuimus inter martatela, Martis stella subito effulgit,

E quam

Ecclesiastes 6

CCS
SII
omg. am.
SIV
24

quam sol diutissimè tenuit, sed Nemei leonis terrore ligatus ob memoriam Herculeæ fortitudinis cœlo inditus esse refertur; traditaq; est cancro per menses tres: dierum hic multum dimisimus.

Quod verò sanctissima vestra benevolentia nos admovere curavit, Ægyptiacum puerum percūstari, de administrandis quibusdam supputationibus decem horarum, vel quadrantalibus supputationis, omnino gratissimè accepitamus meus, ut liceat interrogare, à nobis ignorata, vel per nos corrigerem errata. Nam inter familiares personas, & sacra charitatis nomina obseruari debet, vt in literis discurrentibus magis emendatio sonet, quam reprehensio. Eo modo omnes, discere, intelligere, & ad veritatis viam pervenire valent. Equus quatuor habens pedes sæpe cadit: quantum magis homo unam habens linguam, per vices cadit in verbo. Nec me piget percūstari, audire, consentire veritatis rationi.

Nulla ætas, vt ait Comicus, sera debet esse ad discendendam sapientiam. Quapropter quæro, & quærens diligenter audire cupio, quid sit immutandum in supputationibus decem horarum, & dimidia per singulos menses: quid contrariationē naturæ inueniatur in supputatione, quam chartula nostra vestræ direxit auctoritati. Nisi forte notaria manus verba, syllabas, vel literas immutasset, quod sæpe invenire solet, non solum latinis, sed etiam Ægyptiacis pueris, sicut in priore chartula nostra, de saltus diminutione, per vestram deuotissimam inquisitionem factum esse cognoui, & ita error scribētis quodammodo dictanti deputabatur.

Sed obsecro, vt piissima bonitatis vestræ sapientia, meum magis emendare curet errorem, quam scripta paruitatis meæ in manus mittere reprehendentium. Sunt enim qui sibi laudem quærunt ex alterius reprehensione: & hæc est

est infirma laus, & non valde laudabilis. Melius est amicum emendare, quam reprehendere: sapientem se ostentare, quam mordaciter alterum notare. Nunquam scripsisse talia, si vestram bonitatem nostram inscientiam defensori, vel emendatorem esse, non crederem.

EPISTOLA XII.

Domino desiderabiliter venerabili, & ve-
nerabiliter desiderabili DAVID

REGI.

IN FIDE ET CHARITATE

Albinus salutem.

ITERIS vestrae nobilissimae pietatis acceptis, in quibus vestram nobis valde amabilem sanitatem, & cuncto Christianitatis imperio per necessariam prosperitatem cognoscens, totum cordis mei affectum in gratiarum actiones Christo clementissimo Regi effudi. In quibus, laudabilibus quoque vestrae sapientiae apicibus, meam, ut soliti estis, segniciem, per interrogations prudetissimas sagaciter excitare velle inueni: imo per inquisiciones magis docere, quam ignorata discere agnoui. quia sapienter interrogare, docere est; veluti in vestre auctoritatis pagina scriptum reperimus, vbi post congruam sententiam veridico sermone exaratum perspeximus:

EPISTOLA XIII.

Eidem.

PTATA mihi, & diu desiderata vestrae bonitatis literaturu facies subito effulgit, permulto tempore auidos videndi oculos, sanctissimi vestri nominis apices

E 2 ref-

IC CASI
SII
om, m,
SIV
24

refecerunt. Et licet aliquid reprehensibile sequenti serie de meis cantitassen literulis, tamen omnia melliflua dulcedine hausi: dum hoc desiderabile, & multum mihi amabile in primo capite nomen apparuit, gratissimum mihi etiam fore fatebor, ut sic vel beatitudinis vestræ syllabas merear osculari; ut quod perpetua, & inuiolata nō potuit promereri dilectio, saltē reprehensionis materia subito extorqueret: sciens meliora esse vulnera diligentis, quā fraudulenta oscula odientis.

Nec mirum, si tarditas aselli sustineat in dorso flagellū. Ego, tardus, ego me imetipius immemor, vestrorum fortan dignè puerorum sustinui flagellum. Entellus senior effeto corpore dudum cæstus depositus suos, & ætate florentibus cedit illos indui. Ideo aliquis illorum seniorem & ingenti pugno percussit: ita ut caligo obuersaretur oculos senioris, & vix resumptis viribus frigidus circa præcordia recaluit sanguis. Et, ut ad rem veniam, ac ignorantiae momentis caput percussi medicari incipiam. Ego imperitus, ego ignarus, nesciens Ægyptiacam scholam in Palatio Davidicæ versari gloriæ.....

EPISTOLA XIV.

*Det tibi perpetuam in secla salutem,
Et decus imperij, DAVID amate, Deus.*

VENERANDÆ auctoritatis vestræ omni melle dulciores apices per aridos BELGICÆ latitudinis iter agenti campos occurrerunt mihi, in quibus dum vestræ beatitudinis prosperitatem legens intellexi, & fidem vestrorū amabilem perspecti salutē, totum me in gratiarum actiones Domino DEO IESU CHRISTO contulii

li; felicia Christiano populo tempora, in vestra felicitatis exaltatione & salute, certissimè sciens, pro qua semper Deum deprecari gaudeo, eandem semper audire desidero, & quasi optatum, à Deoq; destinatum munus, omnino gaudeo, vestram incolumitatem cupiens semper audire. Quis enim est, qui non gaudeat de sui capitum perfecta integritate, nisi forte furibundus, vel insanus? Et si iuxta Apostoli sententiam, Nemo carnem suam odio habet, sed eam fovet, & nutrit: quanto magis in capitum sanitatem, in quo est totius corporis perfectio & gloria, omnis membrorum cōpago congaudere debet?

Ephes. 5.

EPISTOLA XV.

Sanctissimis in Christo fratribus, & beato Martino confessori Christi seruientibus.

HVMILIS LEVITA ALCVINI

salutem.

FX quo vestram beatitudinem scire potui, semper amare volui: quia sanctitas vestra cordi meo amorem infundit vestri, optans unus esse ex vobis, ut si meritis esse nequuissem, charitate tamen fraternalē dilectionis coniunctus essem, quatenus in die magno resurrectionis omnium particeps essem eorum, quos tantus pastor suo Regi præsentabit. O felix familia, tali gaudens pastore, talem habens in die Domini ductorem. Felix, qui eius tota voluntate sequitur vestigia, ut illius inhærens præceptis, ipsius mereatur consociari gloriae. Ut hoc fieri valeat, nulla vos seculi concupiscentia; nullum carnale desiderium abstrahat: nec vestra salutis vosmetipso negligentes esse decet:

E 3

decet:

CCAJ
SJJ
omg. 112.
SIV
24

decet: nec paratam vobis à Deo gloriam parui pendere. Habetis enim Deigratiā auxiliantem vobis, & magnum intercessorem, S. scilicet MARTINVM, deprecantem quotidie pro vobis. quia, in cuius seruitio quotidie statis in domo sua, illum habetis in ccelis omni hora suffragatorem.

Quapropter, dilectissimi fratres, diligentissimè contendite, ut sæpius vos inueniat visitatio sui sanctissimi spiritus in laudibus diuinis vigilantes. In loco, in quo elegit sibi requiem dulcissimam, sic fundite preces vestras, quasi praesente Deo loquentes, & Sanctis eius: ne c sit aliud in corde, aliud in ore, quia homo audit, quod os loquitur: Deus inspicit, quod cor cogitat. quia cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Et omnis qui se humiliat, exaltabitur. Per humilitatem vero, obedientiam, & charitatem, monachus cœlum ascendit.

Non est igitur laudabile in vestimentis, habitum imitari patrum, sine obseruatione mandatorum, quæ illi statuerunt Deo seruientibus. Qui foris in oculis hominum ovis in vestimentis videri cupit; intus ante conspectum Dei per cordis secreta esse contendat, quod foris ante homines putati cupit.

Charitas igitur quam Deus præcepit, duplex esse debet, id est, DEI, & proximi. Una, quæ supra nos est, id est Deus: altera, quæ iuxta nos est, id est homo. Deus ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota diligatur virtute. Proximos vero sicut nosmetipso diligamus. Si queritur quislibet, qui sit proximus; omnem Christianum intelligere debet, veluti in Euangeliō legimus de Samaritano, qui vulneratum adiuvuit. Item obedientia duplex esse debet; id est, & mala non facere, quæ prohibentur; & bona facere, quæ iubentur. Et haec duo, id est charitas, & obedientia, cum summa iubentur humilitate impleri. Hac sunt

Lxx. 182.

sunt tria præcepta, quæ aperient monachis portas cœli,

His itaque quasi radicibus, alia succrescent virtutes, quasi ramorum fertilitas, quibus fructus vita nascitur æternæ. Nec me, rogo, sanctissimi patres & fratres, præsumtuosum æstimate, cur vobis hæc scriberem. Charitas mea compulit, in has prorum pere literas; optans vobis omnia bona à Deo donari, ut in seculo honorem habeatis cum hominibus, & in futuro seculo vitam æternam cum sanctis DEI.

Vos verò seniores, in spiritu mansuetudinis, sicut Apo- ^{1. Cor. 4.} stolus præcepit, iuniores vestros admonete. quia illorum salus, vestra est merces. Illorum eruditio, vestra est remuneratio. Quia qui arborem plantat, mercedem de fructu illius accipere cogitat. Habete adolescentes, quasi filios, quatenus illi vos habeant, ut patres. Exemplis bonis illos instruite: admonete, ut charissimos: castigate, ut conservetis: quia hæc est fraterna charitas, ut omnes, quasi vosmetipos ad coronam supernæ beatitudinis perducere studeatis.

Adolescentes verò senioribus, quasi patribus, subditi estote, sicut de Domino Christo legitur in Euangelio, quod ^{Luc. 2.} subditus esset suis parentibus. Si verò Deus homo, & dominus omnium, subditus esse non designatur hominibus: quanto magis & vos pueri, adolescentes subditi esse debetis magistris vestris, ut per illorum bonam doctrinam proficeret, & florere, & exaltari in Ecclesia CHRISTI, & ad vitam æternam cum illis, Deo donante, peruenire mecamini.

Pro me semper intercedere dignemini, quatenus vestris precibus veniam merear accipere peccatorum, & amabilem vobiscum in die nouissimo Domini nostri Iesu Christi audire ^{Math. 25.} sen-

CC. 3.
S. J.
omn. 1m.
S. IV
24

sentētiam: Venite benedicti patris mei, percipite regnum,
quod vobis paratū est ab origine mundi.

Vos aeterna D E I conseruet gratia fratres.

Nominis atque mei memoris sine fine valete.

EPISTOLA XVI.

Ethelbreth E-
piscopo Haug-
staldensii.

Præcipuæ dignitatis pastori III. Episcopo,
& omni congregationi in Ecclesia
S. Andreæ D E O seruen-
tium.

ALCVINI VESTRÆ CLIENTELLVS
sanctitati..

Iacob. f.

PARVITATIS meæ literulas dirigere curauit, ut & pa-
tum antiquæ familiaritatis innouarem, & me vo-
stris sacratissimis commendarem orationibus. Vi-
uscuiusque in secreto oratio ad aures omnipotentis Dei
Et si vnius iuxta Apostolum, multum valet deprecatio iusti,
quanto magis & totius sanctissime congregationis in Chri-
sto, quorum quotidie canonicis horis pacificæ vnanimita-
tis postulationes cœlum penetrare credendum est etiam,
& singularius peruenire non dubitandum est. Quapropter
cum omni petitionis humilitate, meipsum etiam vnicui-
que, & communibus omnium, & specialibus singulorum,
quantum ea valet apud vestram pietatem deprecatio, com-
mendo orationibus, ut per vestræ sanctitatis preces meo-
rum catenis peccatorum absoltus, fratres charissimi, vita
ianuas ingredi merear.

O nobilissima Sanctorum progenies patrum illorum
honoris, venerabilisq; vite successores, & pulcherrimorum
habitatores locorum, vestrorum sequimini vestigia patri-

vt de his pulcherrimis habitationibus, ad eorum, qui vos generunt, æternæ beatitudinis consortium, in cœlestis regni pulchritudinem Deo donante, peruenire mereamini.

DEI discite scire, & implere præcepta, illo dicente, Si vis vitam ingredi, serua mandata. Ideo necessaria est sanctorum lectio librorum: quatenus in eis quisque inueniat, quid sequi, vel quid cauere debeat. Maneat verò in vobis lumen scientiæ, & per vos aliis luceat Ecclesiæ: ut vestra laus in ore resonet omnium; & vobis in cœlis merces maneat æterna. Vnusquisque proprij laboris mercedem accipiet. Pueros adolescentesq; diligenter librorum scientiam in via Dæi docete, ut digni vestri honoris fiant successores etiam, & intercessores pro vobis.

Matth. 19.

Suffragia verò viuentium, prosunt morientib; vel ad veniam peccatorū, vel ad maioris gloriæ augmentū. Qui non seminat, non metet: & qui non discit, non docet. Et talis locus sine doctorib; aut nō, aut vix saluus fieri poterit. Magna est eleemosyna, pauperem cibo pascere corporali; sed maior est, animam doctrina spiritali satiare esurientem. Sicut pastor prouidus gregi suo, optima prouidere pascua curat: ita doctor bonus, suis subiectis perennia pascua viræ omni studio procurare debet. Nam multiplicatio gregis gloria sap. 6. est pastoris: & multitudine sapientium, sanitas est orbis.

Scio vos, sanctissimi patres, hæc optimè scire, & voluntariè implere. Sed caritas dictantis ab ore raptuit verba, credens vos pia velle humilitate legere, quæ sobria in Dæi dilectione dictaui deuotione. Iterum iterumq; obsecro, ut mei nominis inter familiares vestros memoriam habere dignemini.

Almitatem vestram pro tota Dæi intercedentem Ecclesiæ, ipse Deus Christus exaudiat: vosq; ad æternæ beatitudinis gloriam peruenire concedat charissimi fratres.

F EPI-

EPISTOLA XVII.

AD PONTIFICEM RICBODVM TREVE-
rensis ciuitatis & Conuentum.

EPISTOLA XVIII.

Pio patri, & amico charissimo Macario
monacho, & Pontifici.FLACCVS ALBINVS, IN CHARITA-
ze Christi salutem.

Quod Deus coniunxit, seculum non separat. Ecce
quivenit ignem mittere in corda suorum, alle faciat
ardere, quod incendit: nec flumina infidelitatis
obruent ignem, qui in altari Dei diu noctuque ardere pra-
cipitur. Nec alienum quislibet audeat ignem portare in
tabernaculum spiritale: ne occidatur ab eo, qui suum sem-
per ardere iussit. Quis est ignis Dei, nisi charitas? & quis
alienus, nisi amor seculi? Ideo duo seruati sunt ex filiis Aa-
ron, propter duo præcepta charitatis: & duo perierunt, pro-
pter seculi amorem, & amatorem illius.

Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur
ab ea. Amemus, quod non auferetur: fugiamus, quod au-
ferri potest. Impium est, diligentem non diligere, & re-
tribuenti non retribuere. Quid retribuit nobis Deus?
retribuit nobis pro malis nostris bona sua. retribuemus ei
pro bonis suis, bona nostra. Quæ sunt bona nostra nisi ut
diligamus eum, & mandata eius obseruemus? Quæ sunt
mandata illius? ut diligamus inuicem. In his duobus præ-
ceptis tota lex pendet, & prophetæ.

Cur ista tam longo repetita principio, nisi ut scias ardorem cordis mei? Penè mihi melius esset, te pauperem habere præsentem, quam diutinem absenteum. Quid mihi diuitia, si non habeo, quem amo, si non considero, quem desidero? Tua potentia, mihi est mysteria. Vbi est dulcissimum inter nos colloquium? Vbi sacrarum literarum studium desiderabile? Vbi lata facies, quam conspicere solebam? Vbi communio charitatis, quam fraternus amor hinc inde exercuit? Vbi saltem memoria nominis nostri? Ecce totus præterit annus, quo nec literarum consolatio oculis aduenit: nec salutationis officium auribus insonuit. Quid peccauit pater, ut à filio obliuisceretur? Quid magister, ut discipulus neglexerit eum? Forte exaltatio seculi designata est nomen magistri in illo. Aut peregrinatio mea vulnus in oculis tuis, aut amor Maronis tulit memoriam mei. O si mihi nomen esset, VIRGILIUS, tunc semper ante oculos luderem tuos, & mea dicta tota perscrutareris intentione, & iuxta proverbiū illius, essem apud te,

Tunc felix nimium, quo non felicior ullus.

Quid faciam? an meam doleo infelicitatem, qui nō sum, quem diligis? an tuam laudo sapientiam, quia diligis illum qui non es? Filius recessit, Virgilius accessit; & in locum magistri nidificat Maro. Hoc dolens dictauis, vel propter obliuionem mei, vel propter absentiam tui: paululum ferociori pumice charta terens, ut veliratus aliquid rescriberes. Quia bos laesus fortius figit vngulam. Incipe vel defendere te, vel me offendere: ut intelligam studium, quo otium istius anni exercisti. Et quo thesauro cor impleris tuū, paride nobis, ut tecū gaudeamus in bono tuo. Vt inā Euangelia quatuor, nō Aeneidos duodecim pectus compleant tuū, & te auehat quadriga ad cœlestis regni palatium, vbi est honor indificiens, & regnum sempiternū: vbi pro me intercedere credo, memor eris, quia, ut illuc venires, exhortari gaudebam.

F 2.

EPI.

CC. 3.
S. J. J.
m. m.
S. I. V
24

EPISTOLA XIX.

Dilecto patri Machario humili
Leuita salutem,

CHARITATIS dulcedinem literarum officia im-
plete non possunt: tamen qualemque lumen il-
lius ostendere nituntur. Sicut digito præsens
homo ostenditur, ita literis, absentis charitas demonstra-
tur. Fateor, mæmentis dilectio, tui tædet absentiam: es-
setq; aliquod amoris refrigerium, si vel tui cordis affectum
per alterius audirem os, vel cum literas legerem, quem ar-
dentius cuperem, intelligerem. Non disiungit seculum,
quos Christi charitas coniunxit: Et veniat per eum optata
dies viuendi, qui omnes dies creavit ad videndum. Multi
tecum habuissim conferte, si tuæ colloquutionis famili-
ritate vti valuissim. Veniet tempus, dum vult ille, qui di-
sponit omnia tempora. Cum omni charitatis dulcedine
valeas fili frater amice.....

EPISTOLA XX.

[†]Salzburgensis
fit.

Sanctissimi in Christo fratribus, [†]Iuu-
uenis Ecclesiæ.

HVMILIS LEVITA ALBINVS IN
Christi charitate salutem.

AUDIENS laudabilem in Christo vnanimitatis vo-
stræ conuersationem, multa animus meus lætius
gauisus est, multoq; anhelabat desiderio præsen-
liter ordinem videre vestrum, & meipsum humili deuotio-
ne vestris sacrosanctis commendare orationibus. Sed qui
hoc usque prohibuit variarum cœuentus rerum, & prolixa-

terrārum longinquitas, meæ paruitatis literulas in hoc officium dirigere curauit, ut desiderium cordis mei in apicibus cognoscatis, quod & olim pro patri AQUILÆ Pontifici, germano meo, pastori vestro iniungere studui, cupiens spirituali presentia, vñus esse ex vobis, & vnum esse vobiscum, vt vestra me sanctitas à terrenis leuaret cupiditatibus, & in cœlesti vobiscum collocaret desiderio.

O quām felix est vita monachorum, Deo placabilis, angelis amabilis, hominibus honorabilis. Qui hac fideliter viuit inter homines, haud dubium, feliciter regnat inter angelos. Hanc primitiuam, per Apostolos in Iudæa, initiauit Ecclesia: quibus omnia communia fuisse leguntur: & nemo aliquid suum esse dicebat. Hoc non solum in seculari substantia seruandum esse arbitror: sed etiam in desideriis spiritualibus, vt omnes vnum concupiscant, & obedientia bonum magis exsequantur, quām propriæ voluntatis affectum. Si Christus suam non venit facere voluntatem, sicut ipse in Euangelio testatur, sed patris: quantò magis monachus suam nō debet facere voluntatem, sed Christi: nec segnis in opere DEI, sed studiosus: nec tantum considerare quid iubetur, sed quomodo perficiatur, quod iubetur. Nec ullatenus murmurationis malum crescat in aliquibus. Si aliqui ex populo DEI in eremo, propter murmurationis perierunt peccatum: quantò magis monachus monasterij spirituali plectatur vindicta, si murmurationis malo mentem insolescere non metuit.

Quapropter cum gratiarum actione accipiat, quod ei pastoris cura præuiderit sufficere. Sit enim sanctæ pacis concordia inter cunctos; Vitæ castitas in adolescentibus; morum grauitas in senibus: feruor operis in iuuenibus: nec quisquam se canonice horis, vel regularib. psalmodiis subtrahat. Melius est cum angelorum cœtibus Christum laudare,

UCCAN
S. J.
vñus
S. V
24

dare, quām torpentem fegnitia, somno delectari: vel vigilando, inania exsequi desideria. Et non solum verba sancta lectionis resonent in ore; sed intima cordis compunctione sequatur verba legentis, vel cantantis: Et nullatenus horum competentibus, sacrae Scripturae lectio recedat de manibus; quia diuersæ nunc heres, sicut audistis, catholicæ fidei puritatem maculare nituntur.

Quapropter armate vosmetipos scientia veritatis, sententiis Euangelicæ auctoritatis, ut resistere valeatis contradicentibus veritati. Quomodo pugnat inermis? vel quomodo docere potest, qui discere noluit? Spiritales sunt diuinitæ, sapientia in corde, ut Salomon ait, Thesaurus desiderabilis requiescit in ore prudentis.

Sanctæ fidei veritatem diligenter discite, & agnитam cordis recondite thesauro, & spe firmissima vos retinet eccl. Dominum, & charitate ferventissima illum amate, honorate, & laudate, quia hæc est pars optima, quam Maria elegit, sedens secus pedes Domini, quæ non auferetur ab homine in æternū. Sed tanto ardenter post hanc vitam amat Christus, quanto perspicacius eius intelligitur bonitas.

Sed non est opus meæ paruitati, vos admonere desingulis, dum habetis sacrae institutionis libros notissimos, & prius patrem, pastorem vestrum præsentem: qui vos viua voce melius admonere poterit, quām mea series literarum. Tamen, ut debitam vobis ostenderem charitatem, paucis vos apicibus appellare studui, ad cognoscendam in vos meæ dilectionis fiduciam. Præfato itaque patri cum omni humilitate obedite. Ille habet rationem reddere sollicitudinis suæ pro vobis, & vos obedientiæ vestræ in illum & qualiter rationem reddere habetis. Ille, pro vobis in magno positus est periculo: vos, pro illo magna charitate intercedere studete: ut mercedem pro vobis habeat apud

DEVM,

Proverb. 21.

Deum, & vos requiem cum illo habeatis in regno Dei.
Filiorum eruditio, laus est magistrorum: profectus gregis,
merces est pastorum.

*Divina auxiliante gratia custodite vos fratres in omni
castitate, humilitate, concordia, & charitate: oneravestra
inuicem portantes. Omnis sermo malus, & impudicus, &
impatientis, & inutilis ex ore vestro non procedat; sed q̄ sunt Ephes. 4.
sancta, pia, & iusta, & vestrae condigna sanctitati, ad exhorta-
tionem audientium loquimini. Et semper Deus honori-
ficetur in ore vestro, & quæ ad pacem pertinent veram, co-
rrespondamini intentione, & Deus pacis erit vobiscum,*

EPISTOLA XXI.

Dilectissimis, & valde venerabilibus in
Christi charitate, Eboracensis
Ecclesiæ fratribus.

VESTRÆ FILIVS PIETATIS
Alcuinus salutem.

TO TU M meæ deuotionis pectus vestræ charitatis
dulcedine impletur, & si quid pleni amoris modio
superaddi potest, quotidie crescēdo accumulatur,
ita ut solius memoriae de vobis suauitas, superuenientes se-
cularis angustiarum tribulationes longè à secretis mentis meæ
cubilibus depellat. Et hoc mihi singulare solatium in spiri-
tu consolationis sancto Dñs Iesus perdonare dignatus est.
Vos fragiles infantiae meæ annos materno souilitis affectu,
& lascivium pueritiae tempus, pia sustinuitis patientia, & pa-
ternæ castigationis disciplinis, ad perfectam viri edocuitis
ætatem: & sacrarum eruditione disciplinarum roborasti.
Quid plus dicere habeo, nisi ut æterna regis pietas, omnia
pietas in me, famulum suum, per vos benefacta, perpetua
summæ beatitudinis gloria remuneret? Hoc

CCANJ
333
my am.
SIV
24

Hoc singulis vigiliarum mearum momentis, hoc quotidiana supplicatione requiro. In hac prece in conspectu altissimi, intimas desiderij mei lacrymas, per loca sanctorum Martyrum, vel Confessorum Christi, quò me iter instabilitatis deducat, fundere non cesso.

Vos semper in corde, & primi inter verba precantia in ore. Vos piissimi patres, seu in commune sanctæ orationis foris, vel in secretis, deprecationum vestrarum intercessio. Alcuinum filium vestrum, per Dei deprecor charitatem iugiter in corde habete, & in ore. Vos quoque, qui estis aetate filii, sed meritorum sanctitate, patres, per diuinam obtestor clementiam, nunquam eruditioris vestrae, in sanctis orationibus obliuiscimini magistrum. Testis enim cordis mei mihi est inspecto, quia deuotè vestrum semper in ecclesiasticis disciplinis, & spirituali doctrina desiderabat profectum. Et siquid minus accepistis, non meæ culpæ depetrari potest. Et nunquam istius voluntatis meæ, sive absens, sive præsens, de vestro profectu, benevolentia cessabo.

Omnes dilectissimi patres, & fratres, memores mei stote: ego, yester ero, sive in vita, sive in morte. Et fortè miserebitur mei, ut cuius infantiam aluistis, eius senectutem sepeliatis. Et si alius corpori locus deputabitur, tamen animæ, qualemcunq; habitaturæ, erit per vestras sanctas, Deo donante, intercessiones requies.

Vobis credo: quia sicut puer noster Seneca se videtur, nostræ fraternitatis animas in eodem lætitia loco congregandas esse credimus: et si meritorum diuersitas illum beatius lætari faciet; tamen æternitatis qualitas cunctos feliciter viuere efficiet. Et sicut unus sol omnibus lucet, non tamen propter oculorum distantiam, & qualiter ab omnibus videtur; ita æterna beatitudo omnibus in Deo regno iustis perdonabitur; licet meritorum sublimitas alios maiorum

maiori gloria coronet. Ad quam gloriam, charissimi fratres, tota intentione & voluntatis & operis vosmetipso digneos peruenire preparate.

Nulla carnalis concupiscentia, nulla secularis ambitio, beatitudinis iter vobis intercludat, sed via veritatis, & sanctitatis, per quam beati patres, praedecessores nostri, ad regna peruerterunt cœlestia, superna vos comitante gratia, pari pietatis consensu, uno voluntatis affectu, quotidianis currite profectibus. Omnem auram sancta conuersatione repellite segniciæ; luxuriam castitate mutate; ebrietatem, quasi inferni foueas effugite; superuacuos vestimentorum ornatus nolite exquirere. Melius est, seruos Dei animas ecclesiasticis ornare moribus, quām corpus laicorum consuetudine, pomptica vestire vanitate. Et melius est, sacra matris Ecclesie mundissima calcare limina, quām lutulentas villanæ feritatis semitas frequētare.

Regularis vitæ vos ordinata disciplina, & ecclesiasticæ pietatis moderatio, venerabiles efficiet. Sanctæ humilitatis pedibus, & diuinæ charitatis gradibus per passus obedientiæ cœli concendite regna. Hæc enim caduca, & transitoria, fortitudinis euincite animo, quatenus ad amabilem cœlestis gloriæ patriam, diuina vos ubique (adiuuante) gratia peruenire mereamini.



G

EPI-

CCANV
SJI
um, m,
SIV
24

Venerabilibus in Christo fratribus in Ecclesia S. Leodegarj Episcopi seruientibus.

ALCHVINE, DEVOTVS VESTRI PROFE-
tus in Christo salutem.

DEsiderabilem vestræ beatitudinis salutationem, quam meæ paruitatis auribus fidelis frater, ille, attulit, gratissimo suscepit animo: valde desiderans in vestræ sanctitatis orationibus, in huius procellosæ vita nauigio adiuuati: quatenus piissima Salvatoris nostri gubernatione ad portum perpetuæ quietis, vobis intercedentibus, peruenire merear.

Quod ad vos non veniebam, non alicuius (Deus testis est) despectionis causa feci, sed ne scandalum religioni vestræ, meæ inordinatae conuersationis vita generaret, cupiens ædificare, & non destruere; congregare, & non sparge-re. Nulla est ouibus Christi maiorum damnatio, quam pauperrabundus, & seductor per deuias orbitas. quomodo sequens viator viam incedet regiam? Nonne hostile aciem lanceæ sequitur in iectu?

Vos vero, fratres charissimi, totis moribus sanctorum patrum sequimini exempla. Illorum vnanimiter obedi-entiae pedibus intrate vestigia. Charitas, obedientia, & humilitas monachis cœli ianuas aperient. Non illa charitas, quæ in pleno potatur calice, sed illa, quæ in pectora sine simulatione versatur fraterno: non sua querens, sed quæ alterius sunt: omnibus prodesse, non sibi placuisse querens. Non illa humilitas tantum, quæ in capitib[us] inclinatione foris ostenditur, sed illa, quæ in cordis consideratione ante

CON-

conspectum summi iudicis, omnibus se inferiorem esse iudicat. Quid de obedientia loquar? Totam monachorum vitam simplicitate consistit obedientia. Pater vero & pastor Deo rationem reddet, quid iubeat; & quibus ante eos vivunt exemplis. Sicut & filii, & greci; qua deuotione paternis obtemperent iussis, omnium iudici rationem reddituri erunt.

Igitur pacem, & concordiam ex intimo cordis affectu inter vos habete. Quia nihil sine pace Deo placet; nec munus ad aram. Vnusquisque alium, iuxta Apostolum, praeueniat honore. Seniores, in spiritu mansuetudinis, quasi filios admoneant adolescentes: Sed & illi patrum praecepta, quasi diuinitus data, cum omni humilitate perficiant: seruantes in timore Domini, proprij castitatem corporis, ut Spiritus sanctus habitare dignetur in eis: dicente Apostolo, Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Et in sanctorum Scripturarum lectione studiosi estote, ut possitis alterutrum edificare, & consolari. quia qui non vult in iuuentute discere, in senectute scire non poterit. Et sicut seculi avarus quotidie sibi diuitias augere studet: sic seruus Domini sapientiae gazas in sui pectoris fuccos quotidie congregare studeat, ut sit scriba in Ecclesia doctus, proferens de thesauro Matth. 13: cordis noua & vetera. Erudiens multos, sicut firmamentum stellis ornatum in perpetua fulgeat beatitudine. Dan. 12.

Non me, obsecro, presumptuosum estimate fratres, ob huius admonitionis chartulam. Sed quod charitatis lingua dictavi, vos humilitatis perlegite oculis, meamque fragilitatem orationum auxilio vestrarum roborate, ut Domini donante clementia, peccatorum meorum merear accipere veniam, ac vobis cum desiderabilem audire vocem; Venite benedicti patris mei: percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.

G 2

EPI-

CCANJ
SJJ
Mng 1724
SIV
Z4

EPISTOLÆ
EPISTOLA XXIII.

+ VViorensi-
bus.

Sanctissimis in Christo fratribus, [†]humilis
Leuita salutem.

SEMPER pietatis vestræ religionem, ex quo scire potui, amavi; magnamq; in vestræ vnanimitatis orationibus habens fiduciam: & modò licet corpore procul positus, animo inter vos semper assistens. Quia latitudo charitatis nulla diuiditur lōginquitate, nullis clauditur terminis. Sed quò magis ardet in pectoris antro, colatius flammarum suauissimi ardoris spargere adsuescit. Sicut fons paradisum irrigans quadrifido tramite latum diffunditur in orbem: sic fons charitatis, pectus, virtutum floribus pullulans, in quatuor amoris riuos deriuatur, veluti S.

AUGUSTINVS in libro primo de doctrina Christiana dixit.

Cum ergò quatuor sint diligenda; vnum, quod supranos est; alterum, quod nos sumus: tertium, quod iuxta nos est: quartum, quod intranos est. Deus supra nos est: proximus iuxta nos est: corpus nostrum infra nos est. De secundo, & quarto nulla præcepta danda erant. Quantumlibet enim homo excidat à veritate, remanet illi dilectio sui, & dilectio corporis sui. Ideo præcepit scriptura, vt DEVS diligatur, & proximus. Nullum rerum diligendarum genus in his duobus præceptis prætermissum est. Salus vero corporis propter seruitum DEI, amanda est: & integritas animæ, in DEO diligenda est: Proximus, id est, omnis homo, propter DEVVM; & super omnia DEVS diligendus est. Diliges, inquit, Dominum DEVUM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; & diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Omnem vero hominem, proximum esse, exemplo vulnerati, & Samaritanus

Matth. 5.

disci-

discamus. Nullum autem exceptum esse cui misericordia denegetur officium, quis non videat? quando ad inimicos etiam porrectum est, eodem Domino dicente: *Di-*
ligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos. Si
inimici diligendi sunt, quanto magis & fratres, qui vno o-
uili continentur.

Luc. 6.

Vos verò fratres sanctissimi iisdem patribus spiritali doctrina congeniti; eisdem diu pastoribus per pascua vitæ deduci; similibus regularis vitæ institutionibus edocti, pacis & concordiæ unanimitatem diligentissimè obseruate. Beati pacifici, quoniam filii DEI vocabuntur. Non sint schismata occultæ & mulationis inter vos. Quia Dominus Christus, Deus est pacis, & charitatis. Et, qui in charitate manet, in Deo manet. *Dilectio verò proximi in officio misericordiæ, & doctrina salutis ostenditur.*

1. Joan. 4:

Qui habet verbum DEI in corde, doceat proximum. Qui habet seculi facultatem, adiuuet proximum. Qui habet cuiuslibet ministerij scientiam, opituletur proximo. Ipsi præcipiente DEO; Omnia quæcunque vultis, ut faciat vobis homines, hæc eadem & vos facite illis. Regularis vita obseruationem, quam statuerūt vobis sanctissimi patres, BENEDICTVS scilicet, seu reliqui patres, diligentissimè custodite: quatenus cum illis æternam benedictionis mercerem mereamini. Hæc est laus vestra, iste honor vester apud homines, & retributio apud DEVM.

Nolite conformare vos seculi hominibus in vestimentorum vanitate, in ebrietatis luxuria, in iocis, lasciuia, in societatis petulantia: sed cum omni modestia, & pietate conuersatio vestra Deo sit amabilis, & hominibus venerabilis, sicut decet filios sanctæ matris, & monachicæ vitæ alumnos.

G 3

Vos

CCASV
SJI
omg. 111.
SIV
24

Psalmi. 73.
Ecclesi. 5.

1. Timo. 2.

Vos verò qui estis patres, & pastores sanctæ congregatiōnis, docete Regulam sancti BENEDICTI. In conuentu fratrum propria exponatur lingua, vt intelligi possit ab omnibus. Ad cuius institutionem vnuſquisque suam corrigat vitam: vt quod DEO vouistis ante altare, in uiolabili-
ter custodiatur à vobis, dicente propheta. Vouete, & redite Domino DEO vestro. Displacet enim DEO infidelis promissio. Adsuēcant pueri adīstare laudibus superni Regis, non vulpium fodere cauernas, non leporum fugaces sequi eurus. Discant nunc Scripturas sacras, vt ætate perfetta veniente, alios docere possint. Qui non discit in pueritia, non docet in senectute.

Recogitate nobilissimum nostri temporis magistrum BEDAM Presbyterum, quale habuit in iuuentute discendi studium: qualem nunc habet inter homines laudem? Multo maiorem apud DEVIM remunerationis gloriam. Illius igitur exemplo dormientes excitate animos. Magistris adīfide: aperite libros: perspicite literas: intelligite sensus illorum; vt & vosmetipſos pascere, & aliis spiritualis vita præbere valeatis decus.

Quod in laicis laus esse videtur, id est, vestimentorum cultus, hoc in clericis, & maximè in monachis, reprehensio esse cognoscitur. Sed ipse princeps Apostolorum, etiam feminas à preciosis vētimentis, & circulatis capillis prohibuit. Si hoc peccatum non esset, dicit GREGORIVS Papa, nunquam pastor Ecclesiæ, à delicijs vētiū feminas prohibuisset. Omnia vēstra honeste, cum ordine fiāt: vt laudetur DEVIS in vēstra bona conuersatione & honor vēster apud homines crescat, & merces meritorum multiplicetur apud DEVIM.

Breue est præsentis vitæ tempus, & ultima dies vnicuique

que incerta, & cito rapimur ad iudicium. Qualis quisque tunc cupiat esse, tale in se nunc tota virtute exhibeat. Si quid peccati, pro fragilitate carnis commiserit, abluat confessione, debeat penitentia; ne damnetur in poena; sed coronetur in gloria. Habetis sanctos patres, qui vos genuerunt, adiutores; si illorum praceptorum eritis factores. sed & angelicæ dignitates, & omnium Sanctorum agmina congaudent bonis vestris: desiderant vos socios haberes ut beatitudinis: imo & ipse Deus, qui vult omnes homines saluos fieri, vobis æterni regni præparata habet gloriam.

Nolite vos propter desidiam animi, vel carnales delestationes æternis fraudare bonis: sed magis omni studio intendite, ut Dominum hic habeatis defensorem; illuc, remuneratorem. Obsecro, ut pietas vestra placide perlegat, quod charitas nostra deuotè conscripsit. Mea quoque parvutatis ut memores sitis in sanctis orationibus vestris, per charitatis almitatem obtestor, ut familiaritatem, quam donastis mihi, inuiolabili fide custodire recordamini.

EPISTOLA XXIV.

Sanctissimæ congregationis, & dilectissimæ
dilectionis Eboracenfis Ecclesiæ
fratribus.

EIVSDEM PIÆ MATRIS FILIVS AL-
cuinus diaconus perpetui honoris in Christo
pacem, & salutem.

Venerabiles vestre dilectionis ab ENBALDO presbytero accepiliteras. quarum pacificam inscriptionis seriæ, idem ipse, qui portauit, mellifluis salutationis verbis valde amplificauit: referens à vobis fraterni amoris, per-

CCAS
SII
Wm. am.
SIV
24

perseuerantiam in nos : ita ut inter lacrymas alloquutiones nostræ, vestras per singula verba voces me audire aestimari. quod & in literis apertissimè agnoui: in quibus legendis vestras, visum est mihi, facies cernere.

Quod ut verè sit, omnium efficiat largitor bonorum ut tristitia vestra, vertatur in gaudium, & gaudium nostrum impleatur in illo ; qui suis quoque ait discipulis: Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis. In quo est gaudium indeficiens, salus perpetua, prosperitas beata, & beatitudo gloriosa. Ut hæc omnia nobis per suam concedere misericordiam dignetur, illius tota dilectione, & tota virtute inhaleramus præceptis; sanctorum patrum sequamur vestigia qui nos genuerunt in Christo, & in hoc sacratissimum ouile congregauerunt, & paternæ pietatis laetè enutriuerunt. Horum animas in conspectu summi pastoris, ac redemptoris nostri, æternis gaudiis semper adsistere credamus, & inde nostris fauere precibus ; si mandata vitae, quæ nobis spiritu sancto inspirante statuerunt, concordi deuotione nobis obseruare agnoscant.

Recordemur omni hora, dilectissimi fratres, quales habuimus patres, & progenitores, quam præclaros, & piros Deo amabiles, & omni populo honorabiles. Non simus de generes illorum nobilitate filii, dum horum inter sacratissimas constamus reliquias, eorum cogitemus imitari conversationem: quatenus eorum consortes gloriae efficiemur. Non nos seculi ambitio, carnalis delectatio; non luxuriæ putredo: non ebrietatis venena à rectissimo vitali

vitæ tramite reuocent: per quem illi gradientes, gloriam cum Deo meruerunt sempiternam.

Vnanimes estote, in omni bono consilio: concordes in omni regularis vita disciplina: Dei omnipotentis, qui cordis secreta conspicit, honorem & voluntatem, pura p

Ioan. 16.

mō omnium quærite conscientia: vt eius gratia, quæ optima sunt, & saluti proxima, vos inuenire faciat. Fraternam, & pacificam semper habeamus charitatē, vt oves Christi, eiusdem vitæ pascuis epulantes, vnius oculis muro manentes, in una orationis domo, DEI nobis misericordiam conuocantes.

Nec aliquis se canonicas horis à communione sanctæ orationis, suæ negligens salutis, separet. Melius est, vt Euangelica visitatio, horis competentibus inueniat cum fratribus orantes, quam diaboli sæuitia, in aliqua negligentia, vel luxuria torpentes. Vnicuique secundum suum laborem merces manet in æternum.

Qui plus laborat, plus mercedis accipit. Nec labor salutis nostra durus debet videri. Sæpe austiora medica menta exoptata solent præstare salutem. Videmus quam angusta porta, & arcta via sancti Martyres vitæ ingressi sunt sempiternam. Nos vero fratres, faciliori via, & leuiori cursu, ad eiusdem vitæ possumus peruenire beatitudinem, ipsa dicente veritate: Multæ mansiones sunt, in domo patris *Iean. 14:*
mei. Propter merita diuersa, mansiones multæ: tamen omnibus beata æternitas, & æterna beatitudo erit, quia quisquis ibi erit beatus, erit & gloriosus: vbi iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Sicut enim Sanctorum Martyrum persecutores fuerunt, diabolo instigante, impij homines: sic, nostri persecutores sunt, diabolo suggestore, seculi concupiscētia, & carnalis delectatio, & animi inconstantia, & Dei negligentia mandatorum. Et veluti illi martyres sancti, gratia adiuuante diuina, impios constanter vicerunt tyrannos, palmam æternæ acceperunt gloriæ. Sic & nos, si nostros, DEO auxiliante, superamus aduersarios, & diabolicis viriliter resistimus suggestionibus, coronam perpetuae laudis, & palmam æternæ beatitudinis accepturi erimus.

H

mus.

Math. 13.

CCAN
SII
Mg. 171,
SIV
24

mus. Vos fratres charissimi, mei habete, obsecro, memoriā in sanctis orationibus vestris, ut anima, perpetua prosperitate gaudeat in vobis.

Ego deuotus vestræ paternitatis filius, nunquā obliuīseor vestri, sed semper præ, & super omnes alios diligo charitate Domini quotidie, cum intima cordis compunctione deprecans, ut vos æterna pietate custodiat, regat, atq; protegat. Valete in Christo dilectissimi fratres.

EPISTOLA XXV.

Domini, & Saluatoris mundi sanctissimæ congregationi, & pio patri.

HVMILIS LEVITA SALVTEM.

LAUDABILEM vestræ beatitudinis conuersationem, & condignam vestro nomini vitam laudamus, & Dominum in vobis, qui tales sui sancti nominis dignatus est habere confessores. Nec enim frustra special vocabulo monachi sancti SALVATORIS vocamini: nū quia estis meritis, quod nomine dicimini. Imò & tam nobilis Rex, nobiles debet habere ministros, moribus egregios, in pace concordes, in corpore castos, in animo sobrios omni bonitate eximios: clarissimis adiuctos triumphis non fuga vitam defendere, sed in acie firmiter stare, viriliter pugnare, fortiter vincere, quatenus cum gloria victoria palma, æterni Regis ciuitatem intrare mereamini.

Hoc considerantes, fratres, adhortamini vosmetipos per singulos dies, donec cognominetur Christus in vobis. Et ad finem firmum, cœptum iter beatæ conuersationis peragite, ut unusquisque cum Apostolo dicere dignus efficiatur: Bonum certamen certauit, cursum consummum

2. Tim. 4.

vi, fidem seruauit. De reliquo, reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex.

Vestræ petitionis, & voluntatis ad Dominum Regem, quantum valui, fui adiutor: secundum quod mihi fraternitatis vestrae missus suggestit: mihiq; adiutricem LIVDGARDAM piissimam in D^eo sc̄eminam adduxi. Sed obsecramus, ut sanctissimis orationibus vestris, nostrum pro vobis labore remunerare dignemini. Nam olim per ENCLRAMMVM Archiepiscopum, & sanctæ Capellæ Primicerium me ipsum vestræ commendauit sanctitati. Sed modo quasi singulorum pedibus prouolutus, obsecro, ut me in huius (vitæ) salo fluctuantem pietatis precibus ad portum perpetuæ quietis, diuina donante gratia, transportare dignemini: vt & ego animæ meæ salutem, fraternæ intercessione iuuamine habere merear: & vos vitæ æternæ retributionis mercedem à D^eo, pro charitatis officio digni accipere mereamini. Omnipotens D^eus exaudiat preces vestras, & multis prodesse concedat: vobisq; perpetuæ præmia gloriæ donare dignetur charissimi, & desideratissimi fratres.

EPISTOLA XXVI.

Dilectissimis viris fratribus, & patribus, in
Prouincia Scotorum.

HVMILIS ECCLESIAE CHRISTI VER-

naculus Albinus diuinam salutem.

Dilectissimis viris sagacitatis, & religionis laus nostris saepius insonuit auribus: seu propter sacratissimam monachorum vitam, seu propter laicorum religiosam cōuersationem: dum illi ab omni strepitu secularis inquietudinis, soli D^eo vacare desiderant: & isti, inter mundanas occupationes, castissimā vitā degere dicuntur.... Isti

H. 2.

inter-

CCAS.
SII
Wm. 1719
SIV
24

intercessores suos præsentis vitæ solatiis sustentare gestiunt
quod quisque gratiam benedictionis sibi à Dœ o datam, si
in alterutrum refundat. Vnde & nos vestræ pietatis exem-
plis edocti, nostri nauigij cursum orationibus vestræ san-
tatis ad portum quietis dirigi precamur.

Nos quoque mutuo charitatis officio vestræ sanctitatis
aliquâtulas pię admonitionis literulas dirigere curauimus
propter quasdam consuetudines, quæ vestris inoleuisse fer-
tur regionibus. Dicitur vero; neminem ex Laicis suam ve-
le CONFESIONEM sacerdotibus dare, quos à Dœ o Christi
cum sanctis Apostolis ligandi, soluendiq; potestatem acce-
pisse credimus. Quid soluit sacerdotalis potestas, si vincula
la non considerat ligati? Cessabunt opera medicorum,
vulnera non ostendunt ægroti. Si vulnera corporis carni-
lis medici manus exspectant: quanto magis vulnera animi
spiritualis medici solatia deposcunt.

Deo vis, ô homo, confiteri, quem volens, nolens late-
re non poteris: Ecclesia Christi, in qua peccasti, satisfac-
negligis? Cur ipse Christus leprosum, quem mundauit, sa-
cerdotibus se iussit ostendere? Cur Lazarum quattidie
num resuscitatum alios soluere iussit? Nunquid falsa
mēta mortui eodem verbo soluere non potuit, quo mortu-
um vitæ redditum de sepulcro prodire iussit? Cur inter-
rogauit cæcos ad se clamantes, quid voluissent? An igno-
re cordis eorum voluntatem potuit, qui optatum lumen-
culis illorum reddere valuit? Fortè si Dœ vñ latere, sic
hominem potuisses, nec Dœ o plus quam homini confite-
voluisses. Superbiae hoc genus esse videtur, sacerdotem
iudicem despicere.

Si dicas, Bonum est confiteri Domino. Sed bonum ei
huius confessionis te habere testimoniū. Licet non semper con-
fessio pœnitentiam significet, sed sœpissime laudem, vere
Euan-

Matth. 16.

2 Cor. 18.

Matth. 8.

Ioan. 11.

Psalms. 91.

Evangeliō ipsa veritas dixit: Confiteor tibi pater cœli, & Matth. ii.
terra, id est, laudo te pater cœli, & terræ. Et in Symbolo
dicitur: Confiteor vnum baptisma, & cetera, quæ sequun-
tur ad idein respicientia verbum: quod verbum, id est, con-
fiteor, in hoc loco confessionem fidei, non peccatorum de-
signat. Erubescis homini in salutem tuam ostendere, quod
non erubescis cum homine in perditionem tuam perpetra-
re? Ancillam tuam iniquitatis tuæ consciā vis habere;
& Sacerdotem Christi, reconciliationis tuae non vis habe-
re adiutorem? Per inimicum corrūsti, & non vis per ami-
cum resurgere? Multū offendisti Dominum, & alium nō
vishabere reconciliatorem, nisi te ipsum? Confidis per orationes
tuas saluari? Spernis Apostolicum præceptum di-
centis; Orate pro iuicem, ut saluemini. Et itetum: Si quis
peccator est, oret pro eo sacerdos, ut saluetur. Quid ad hæc
dicis, quæ in hac epistola leguntur: Confitemini alterutrū
peccata vestra, ut deleantur delicta vestra? Quid est illud,
Alterutrū, nisi homo homini, reus iudici, agrotus medico?
Ipsaq; sapientia per Salomonem dixit: Qui abscondit sce-
lera sua, non dirigetur: id est, non dirigetur in viam salutis,
qui peccata sua celare studet.

*Iacob. 5.**Proverb. 28.**2. Reg. 12.**Leuit. 5: 9. 12.**etc.*

Nunquid Deo abscondi possunt sceleranostra, qui o-
mnia videt, nouit, & considerat? Homini possimus abscon-
dere, quæ agimus, at non Deo. Nonne Dauid, præsente
Nathan Propheta, qui se arguebat pro suo peccato, dixit,
Peccavi Domine? Ecce tantus vir testem confessionis suæ
voluit habere prophetam. Et quia non erubuit confiteri,
quod impiè gessit, statim audiuit: Ecce Dominus transtu-
lit peccatum tuum. Homini patefecit vulnus suum & à
Deo mox remedium accepit. Nam & in Leuitico sæpissi-
me, Domino mandante, peccator ad Sacerdotem mittitur
cum victimâ, quam offerens Deo, oret pro eo, & dimittat-

H 3 tur

tur ei. Quæ sunt nostræ victimæ pro peccatis, à nobis commissis, nisi confessio peccatorum nostrorum? quan-
purè D E o per sacerdotem offerre debemus: quatenus
rationibus illius, nostræ confessionis oblatio, D E O ac-
ceptabilis fiat, & remissionem ab eo accipiamus. cui est la-
cifricium, spiritus contribulatus: & cor contritum, & hu-
miliatum non spernit.

Psalms. 50. .

Christus pro nostris sceleribus ab inimicis iudicari in
hunc mundum venit, ut nos redimeret à diaboli seruitute:
& nos deditnamur à sanctis D E I sacerdotibus iudicari, vi-
liberemur à vinculis peccatorum nostrorum? Ille absque
omni peccato, hominum adfistere, & hoc, impiorum, iu-
dicio, non renuit: & nos cum multis peccatis hominum
iudicia, & hoc sanctorum, subire contemnimus? Nonne
in sacro baptisme sacerdotibus Christi nostræ fidei con-
fessionem, & abrenuntiationem satanæ dare debemus:
sic sacerdotali ministerio, diuina operante gratia, ab o-
mnib. ablui peccatis? Cur etiam & in secundo pœnitentia
baptisinate, per confessionem humilitatis nostræ, ab o-
mnibus post primū baptisma peractis, cädern diuinâ mis-
tante gratia, sacerdotali similiter auxilio non debemus
absolui peccatis?

Si peccata sacerdotibus non sunt prodenda, quare in
Sacramentario, Reconciliationis orationes scriptæ sunt:
Quomodo sacerdos reconciat, quem peccare non nouit?
Si consiliis, iuxta Salomonem, tractanda sunt bella: quali
audacia, sine consilio Ecclesiasticorum ducum pugnare
nos aduersus diabolum confidimus? Item eodem dicente,
legimus: Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma
est. Quem adiuuat Sacerdos Christi dux exercitus D E I,
& rector castorum illius: si nullus ab eo suæ salutis auxi-
lium querere dignatur? si nemo occulta diabolicae fra-

dis vulnera, illius medicinali dexteræ tractanda ostendit? Inaniter itaque posita sunt in Ecclesiis remedia, & Synodali auctoritate literis mandata, contra omnium peccatorum nostrorum vulnera, quæ vel antiqui hostis versutia, vel negligentia mandatorum D e i spiritualiter, aut carnaliter nobis infliguntur, si non his, qui in Ecclesia Christi statuti sunt, ad sananda putrida scelerum nostrorum vulnera revealantur. Corde enim creditur, dicit Apostolus, ad iusti- *Rom. 10.*
tiam, ore autem confessio fit ad salutem. Non solum catholice fidei, sed etiam pura peccatorū confessio, cordis compunctione nobis ad salutem proficit sempiter nam, dicente scriptura: Dic prior iniusticias tuas, vt iustificeris. Et ite- *1aie 43.*
rum: iustus in principio accusator est sui. Si iustus, quantò *Prouerb. 18.*
magis peccator?

Si fortè dicas cum psalmista: Dixi, confitebor aduersum *Psalm. 31.*
me iniustitiam meā Domino. Et ego cum eodem dicam:
quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea. Et iterum cum
alio propheta: Computuerunt iumenta in stercore suo. *Ioel. 4.*
Quid est, iumenta in stercore suo putrefondere, nisi crimino-
fos quosq; in putredine peccatorum suorum iacere? Qui
peccat, iacet: qui confitetur, surgit. Qui pœnitentiam a-
git, reuertitur ad patrem suum; sicut prodigus filius in Euan- *Luc. 15.*
gelio legitur dixisse: surgam, & ibo ad patrem meum, &
dicam ei: Pater, peccauī in cœlum, & coram te.

Sed semel sacerdoti in præsentia diuinæ pietatis confessio facienda, sufficit. Semper autem Domino cum la-
crys, & cordis contritione faciendam esse arbitramur.
Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad
lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit ve-
ritatem, venit ad lucem, vt manifestentur eius opera, quia
in Deo facta.

Vos



Vos igitur, viri fratres, filii lucis estis; & non tenebrum: populus acquisitionis, & non perditionis: gens sancta, Christi sanguine acquisita. Ambulate, vt filii lucis in omni bonitate, & pietate, & castitate, exuētes veterem hominem, cum peccatis suis, & induentes nouum, qui secundum DEVM creatus est. Sit conversatio vestra cœlestis, & non terrena. Diligite iustitiam, & odio habete iniquitatem.

Qui sanus est, defendat se scuto fidei, ne clandestini antiqui hostis sagitta eum vulnerare valeat. Si quis vero propter fragilitatem carnis, vel propter negligentiam circumspetionis vulneretur, citius ad confessionis medicinae recurrat: ne per illecebram malæ consuetudinis vix eradicari valeat peccatum. Tres enim mortuos Dominum Iesum Christum Euangelica narratio historia suscitasse: filium Archisynagogi in domo: filium viduæ, extra portam ciuitatis: Lazarum quatriduanum de monumento ad vitam vocauit. Qui sunt hi tres mortui, nisi tria peccantium genera? quæ modò quotidie diuina confitentibus suscitantur solet gratia. Filiam suscitat in domo, dum consentientem in corde peccare, reuocat à peccati perpetratione. Filium viduæ, extra portam ciuitatis suscitat, dum peccantem foris in opere, ad pœnitentiæ medicamenta configere facit. Fœtentem vero in mala consuetudine peccati, dum lacrimas pœnitentiæ elicit ex corde, suscitat; & ex ecclesiastica auctoritate soluere eum iubet, vt dignus sit communione Domini, & particeps sacri altaris efficiatur.

Hæc cogitate charissimi fratres, & in qualicunque horum trium mortuorum genere si quis iaceat, citius ad confessionis probatissima medicamenta configiat, salutiferis pœnitentiæ se abluat medicamine: vt non ad iudicium damnationis, sed ad salutem sanctificationis communicetur.

Ephes. 4.

Martii 5.

Luc. 7.

Ivan. 11.

corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi. Et cum gratiarum actione semper rememorate, quomodo vos diuina misericordia, de terra tenebrarum, & frigoris, de regione ignorantiae, & iniquitatis, transtulit in loca lucis, & letitiae, in tabernacula abundantiae, & iustitiae: & elegit vos sibi in filios pietate paterna, ut per vos nomen illius nuntietur in gentibus.

Sequimini vestigia sanctorum patrum, & nolite in Catholicæ fidei religionem, nouas inducere sectas. Cauete vobis venenosum erraticæ invectionis fermentum: sed in sinceritate, & veritate mundissimos sacræ fidei panes comedite: & vinum, quod diuina electis suis miscuit sapientia, bibite: & cantate Deo vestro in concordia pacis, & unanimitate charitatis perpetuæ canticum laudis, & cum militia cœlesti, consona voce, laudate Dominum, & dicite, Gloria in excelsis Deo, & in terra Pax hominibus bona voluntatis. Diuina vos præueniat gratia, & subsequatur ubique clementia, & in omni opere bono florere faciat viri fratres dilectissimi, & sanctissimi patres.

EPISTOLA XXVII.

Domino beatissimo, atque omni honore nominando, Leoni Papæ.

HVMILIS LEVITA ALBINVS ÆTERNAE
in Christo glorie salutem.

Suscipiat obsecro sanctissima pietas vestra, Pater glorioissime, benigno animo nostræ paruitatis litterulas, & me deuotum vestre dilectionis famulum agnosce.

I

Semper

CC CLXV.
S III.
Umg. 17m.
S IV
24

Semper sanctæ Romanæ sedis beatissimos, quantum valui, Principes, & Pastores amavi: cupiens illorum sanctissimis intercessionibus, inter oues Christi numerari: quia Dominus Christus post resurrectionis suæ gloria, beato Petro Principi Apostolorum pascendas commendauit: quod verè dignum esse fateor, omnem illius gregis multitudinem suo pastori, licet in diuersis terrarum pascuis comorantem, una charitatis fide subiectam esse, & sicut pastor concedat magnam sibi commissi gregis curam habere, & sedula pietatis admonitione, & sanctitatis intercessione prouidere; ne aliqui ex illis per præcipitia errorum à via veritatis, vel perpetuæ pascuis vitæ exorbitant, incipient. Gregis sanitas, gloria est pastoris, & multiplicatio illius merces æterna.

Ecce tu sanctissime pater, pontifex à Deo electus, Vicarius Apostolorum, hæres patrum, princeps Ecclesiz, vienius immaculatae columbae nutritor; in te fides resplendet, deuotio fulget, charitas abundat, congrega nos filios sanctæ Dei Ecclesiæ, & paternæ miserationis affectu, tuis sanctissimis orationibus, & dulcissimis sacrarum literarum exhortationibus intra firmissimum Ecclesiæ soliditatis ouile, ne quis ex nobis errabundus lupina rapacitate foris inueniatur deuorandus. Nam splendentia cœlestis mandragmina, Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi gaudia primò pastoribus, qui supra suos deuotè vigilârunt gregem nuntiare venerunt.

Ecce tuis sanctissimis vigiliis, ac pastorali sollicitudini probatissime ARCHIMANDRITA, angelicas à supernis sedibus visitationes adstare non dubitamus: quarum auxilio quæcunque diuinam poposceris pietatem, impetrare te posse credimus: Vnde ego ultimus sacratissimi ouilis vernaculus, & morbida peccatis ouicula, spe, pace, pietate

nitatis vestræ, animatus, ante sanctissimos paternitatis tuæ
pedes animo prostratus, suppliciter deposco, quatenus du-
rissima peccatorum meorum vincula, per Ecclesiasticam
Apostolicæ auctoritatis potestatem soluere digneris: & pa-
ternæ pietatis precibus cursum vitæ meæ, qui restat, ad
perpetuæ portas ciuitatis dirigere studeas.

Grandia posco quidem, sed charitas grandia nouit da-
re. Poscentem pro filia viduam Christi clementia non sper-
Matth. 15:8
nit: Sedait, O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.
Fides me hortatur, hæc poscere: spes confirmat, impetrare:
charitas, credo, negare non præsumit. Christus pro nobis,
cùm inimici essemus, mori non dubitauit: quanto mag-
is, te, Pater sancte, pro amicis velle orare, credendum
est?

Sub te pastore augeatur grec Christi. Tu consolator
miserantium, adiutor laborantium: spes, ad te clamantium:
lux vitæ: religionis decus. Locus, in quo stas, omnibus te
honorabilem facit, & morum nobilitas laudabilem: & pie-
tatis deuotio amabilem. Et qui sedem Sanctorum tenes
patrum, eorū exemplis inhæreas semper, vt cum illis, mul-
tiplicilaboris mercede, Domini Dei tu iugalia intrare me-
teatis. Iste filius meus charissimus ENGILPERTVS, vobis
patefacere valet nostræ paruitatis erga Apostolicam sedem
deuotionem etiam & voluntatis nostræ petitiones: quem
vestræ paternitati valdè fidem esse agnoui: & ideo no-
stræ necessitatis causas illi iniunximus, vt per os illi-
us, pietatis vestræ aures mei cordis audiant
obsecrationes.



I. 2:

EPI-

EPISTOLA XXVIII.

Beatissimo, & omni honore dignissimo,
& Pontifici magno Adriano
Papæ.

HVMILIS OMNIVM SANCTÆ ECCLE-
SIAE filiorum Albinus æterne beatitudi-
nis salutem.

Venerabilis, atque toto orbe laudabilis vestræ bonitatis, pater optime, pietas, mihi vltimo sanctæ Ecclesiæ seruulo, quantulamcumque attulit fidiciam, vestram deprecandi clementiam, vt me, licet indignum, paternæ pietatis amore, in gremium sanctissimi intercessionis vestræ colligere dignemini. Scio certissime vestræ deuotionem sanctitatis pro populo iugiter totius orbis intercedere Christiano: tamen specialius aliquid pro his egisse, qui vestræ almitati se ipsos obnixæ humilitate obsecratione commendant: & maiore credulitate ad tantæ auctoritatis configunt suffragia.

Scio me per sacri Baptismatis adunctionem, de illius esse ouili pastoris, qui pro suis ouibus animam ponere non dubitauit, quas etiam post altissimam suæ resurrectionis gloriam, beatissimo Petro Principi Apostolorum, ob trinam magnificæ dilectionis confessionem pascendas commendauit: cui etiam cœlo, terrisque æternam ligandi, ac foluendi potestatem delegauit.

Huius te excellentissime pater, vt vicarium sanctissima sedis agnosco, ita & mirificæ potestatis hæredem esse confiteor. Ecce ego yna sum regiminis vestri ouicula: sed valde peccatorum maculis morbida. Quapropter me totum tuæ offero sanctitati, pastor piissime, sanandum: & medi-

finali potentia, quæ tibi post longas sacerdotum patrum series, hæreditaria successione à Deo Christo tradita esse dignoscitur, me iubeas salutiferæ pietatis verbo à peccatorum vinculis esse solutum. Nam mihi cum Euangelicæ humilitatis regula fas esse video dicendum: Domine non sum dignus, ut intres sub testum; dic verbo, & sanabitur puer meus. Qui mox, ut sperauit, inuenit: ut credit, accepit.

O beatissima lingua oris vestri, in qua est æterna medicina salutis: per quam cœli aperiuntur credentibus. Nunquam, obsecro, fileat: semper admoveat, & sanet: semper aperiat perpetuæ beatitudinis ad se confugientibus, portas.

O Domine Iesu fac eum longæua valere, & viuere prosperitate: & qui tales populo tuo dedisti pastorem: hunc pietatis tuæ dextera multis temporibus conseruare digneris: quatenus cum multiplici laboris sui mercede, ante thronum tuæ veniens gloriæ, audire mereatur: Euge Matth. 25.

serue bone, & fidelis: quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.

Iam aliquas petitiones propriæ necessitatis meæ, his quoque literis insererem. Sed quia electissimus Domini mei Regis missus, filius, equidem meus charissimus, ILL, ad beatissimam summæ auctoritatis vestræ dirigitur paternitatem, non esse necesse putaui, literis exarare quod ille vir fidelis & prudens melius viua voce secundum mandatum Domini Regis, auribus excellentiæ vestræ poterit intimare.

Nam inter cæteras, fidelissimæ dilectionis, quam ad vos habet, legationes, meæ quoque necessitatis postulationes eidem præfato regiæ voluntatis secretario commendauit: quem omnibus amicis valde fidem esse probauimus,

I 3 mus,

C. A. N. J.
S. J. J.
O. M. 9. 1. M. 9.
S. I. V.
Z. 4

mus, maximè vobis, vt verè dignum est, sanctissime patrem
qui vestram laudabili voce bonitatem sæpiissime domino
Regi sub præsentia multorum testium narrare solebat, &
egregiè pietatis per vos gesta, puræ fidei verbis, de vobis
proferte studuit: quatenus piæ dilectionis fidem ostende-
ret: & vestræ Almiratis amorem plurimorum mentibus
ingereret.

EPISTOLA XXIX.

Dulcissimæ dilectionis fratri, & amico in
Christi charitate salutem.

Ecclæs. 9.

A Mico antiquo, nous non est similis amicus. Qui fortunam sequitur, & tempora obseruat, qui iuxta loci qualitatem mutatur, nunquam verus fuit. O si vox ferrea esset, & omnes pili verterentur in lingas, vt vel sic ad aures tui cordis verba dilectionis meæ peruenire valuissent. Vel in tuo pectore, spiritus esset prophetæ, vt perspicere cordis mei arcana potuisset. Crederes utique quam suauissimo sapore tui amoris pectus meum impletetur.

Sed nunc quod valeo, faciam; hos paruos apices, magnæ indices charitatis tibi dirigo, vt per hos intelligas, quod vix intelligi potest: sicut flamma potest videri, tangi autem non potest: ita charitas in literis cerni potest, sed vix in animo scribentis sentiri valet.

Quasi scintillæ de igne sparguntur; ita dilectio literarum officio volat. Sed plurimi sunt, in quorum corde extinguitur: ideo gratius lucescit, ubi vel aliqua eius flammula ardescit. Quia in te frater sanctissime, veram inueni charitatem, ideo nulla terrarum spatia me prohibent, secundum oportunitatem portantis, cupiens te in Christo perenniter

enniter frui; cuius amor nostra vitinam implet corda, ut per eius dilectionem, nobis inuiolabilis permaneat fraternitas, cuius charitatem, sicut sacerdos Dei summi, sicut tuba cœlestis, sicut præco salutis, cunctorum ingerere coribus studeas.

Quidquid illius respuit sanctitas, instantissimè prohibe; quidquid illius diligit bonitas, ardentissimè prædica. Non terrena fragilitatis terreat potestas; non secularis ambitio sacerdotalem seueritatem compescat. Nolite timere eos, qui corpus possunt occidere: animam autem non possunt.

Esto omnibus vita lucerna, præuius viarū Dei, exemplum honestatis. Esto miseris consolatio, medicina vulneratis, afflictis consolatio: pastor, non mercenarius; domus Dei, nō speluncæ latronum: palma florens, oliua semper virens. Noli columbas Dei vendere. Gratis da, q[uod] gratis accepisti: Irreprehensibilem te ipsum in omnibus exhibe, vt vitia tua doctrina sit populi: vt & bona conuersatione tua adficiatur plurimi.

Lege diligenter obsecro, Euāgelia Christi: libros quoque alias Canonice auctoritatis. Sed & Pastorale Beati Gregorij Papæ sēpissime perscrutare. His epulis animam tuam pasce, vt habeas, vnde alias reficere valeas. Mei quoque obsecro, vt memoriam habeas inter Missarum solennia, & sacras orationes tuas; vt diuina clementia veniam mihi peccatorum, & coronam tibi meritorum præstare dignetur.



EPI.

EPISTOLÆ
EPISTOLA XXX.

Domino omnium dilectissimo, &
ternam in Christo
salutem.

Vdiens ab EANBOLDO famulo vestro, optatae prospexitatis vestrae sospitatem, valde me gauisum fieror. Quia charitas, & fides, quæ olim in pectore nostro habitare coepit, nūquam recedere poterit. Et quanto plus tempus remunerationis appropinquat, tanto magis obseruare debet, ut qui prius transierit à seculo, amicum ibi sentiat reliquise in seculo.

Me verò, filium tuum, febrium acerbitas, & Regis tardatio in SAXONIA retinuit, ut ad vos venire non potuerim sicut desiderau. Concedat mihi clementia diuina faciem tuam, in lætitia videre, antequam moriar, ut in ea te honoris dignitate, si fieri possit, inueniam, in qua te pergens videbam. Tamen si aliud aliquid tuo placeat animo, rogo ut nullam violentiam super Ecclesiam Christi vllatenus fieri permittas: sed fratres libera electione in timore DEI, sicut optimum, Deo donante elegant.

Quia in sanctis Canonibus terribile anathema legitur super omnes, qui violentiam aliquam inferant super Ecclesiam Christi. Scito semper dilexisse familiam nostram, & plurima eis bona fecisse: sed nunc maximè indigemus: VI

bene illis agamus, ut vbi nobis requies erit æterna:
ibi sint quoque intercessores perpetui
pro nobis.



EPI.

EPISTOLA XXXI.

Pars mea, dixit Dominus animæ meæ :

Pars mea, dixit pater filio suo :

Cui sit pars cum Sanctis in æternum.

Væ beatitudinis perleatis literis, gaudebam de tuæ prosperitatis salute ; cuius præsens quantum valui, fautor fui, etiam & nunc ab lens cupidus. Et utinam, vt literis promisisti, memor sis antiquæ paternitatis, & dulcedenis inter nos, in Domino, qui semper nos in sua prouehat voluntate, & proficere faciat, in suis mandatis.

Memores simus, quod nos de stercore erexit, & posuit inter principes populi sui : non nostris meritis, sed sua gratuita misericordia; cui semper gratias agimus in omni vita nostra, vt ille, qui exaltauit, etiam & conseruet. Omnes vero ecclesiæ, quas, Deo donante, ad regendum accepisti, diligentissime in DEI laude exorna.

Sint in eis canonicis horis psalmorum melodia, orationum instantia, Missarum solennia, & intercessiones pro te, tuisq; amicis. Sint tibi filij minores cum honestate, & temperantia. Vestimentorum moderatus cultus: conuiua nō in luxuria, & ebrietate, sed in sobrietate, & congruentia temporibus, & personis.

Vbique DEI timorem ante oculos habeas. Humilitas te exalte, & veritas honorabilem faciat, & misericordia amabilem. Sit tua manus pauperibus larga, amicis benigna. Esto fidelis dispensator domui DEI; esto forma salutis omnibus tecum habitantibus. Et quia DEVS te honore nobilem fecit, esto quoque & moribus nobilis. Luceat lux tuae bonitatis coram omnibus. Glorificetur in te pater cœlestis; qui te & in hac præsenti vita custodiat, & in futu-

K ra vita

ra vita gloriam tibi cum Sanctis concedat æternam.

Pars mea, pars valeas; semper sit pars tua Christus.

Esto memor patris, pars precor almatui.

EPISTOLA XXXII.

Dilecto fratri Illi.

ALCHVINVS SALVTEM.

DVLCES tuæ dilectionis accepi litera, mellifluis sensibus delibutas, apologeticam tenens rationem, quarum melius credebam veritati, quām falsis quæ aliorum narrationi. Nam fides amicitia corde constare debet, non linguae versibilitate. Utinam dignus essem, pacem prædicare, nō discordiam seminar; & signum portare Christi, & non arma diaboli. Nunquā tibi scripsisse, si noluissem pacem tecum habere, & quod in Christo cœpimus, firmum permanere.

Verè OFFÆ Regi & genti Anglorum nunquam infidelis fui: sicut hos amicos, quos mihi Deus donauit, fide liter quantum valco, seruabo: sic & hos, quos reliqui in patria. Pauci sunt dies mei, & hos ipsos cum dolore flagelli suffero: ideo te obsecro, ut in Domino, quos valeas, mihi intercessores acquiras.

Multis miseriis turbatum est hoc seculum, & non est refrigerium in eo, nisi in misericordia Dei, & fide amicorum. Nudi venimus, & nudi recessimus: nisi qui bonis animam vestiat operibus. Ut tibi, charissime frater, tempus vel locus occurrit, semper Dei suade voluntatem omnibus personis Regis suauiter, Episcopis honorificè, Principibus fiducialiter, omnibus veraciter. Nostrum est seminar, Dei fru&stificare.

Nec

Nec vlla tibi alicuius diffensionis inter nos remaneat
suspicio. Nec simus ex illorum numero, de quibus dictum
est: Non veni pacem mittere, sed gladium: sed ex illo si- *Matth. 10^o*
mus numero, ad quos dictum est; Pacem meam do vobis,
pacem meam relinquo vobis: vt pax Christi, quæ exsuperat
*Ioan. 14.
Philip. 4^o*
omnem sensum, custodiat corda vestra, in charitate Christi,
& dilectione fraternitatis. Paucis scripti literulis: quia sa-
pienti pauca sufficiunt. Sed te plurima Dei dona glorifi-
cent in æternum dilectissime frater.

EPISTOLA XXXIII.

Dulcissimo dilectionis filio III.
salutem.

Radoni Abba-
ti.

Dilectionis vestræ venerabile sequutus præceptum, *Videtur ad*
vitam S. Vedasti patris vestri, & intercessoris nostri
emendare studui; non quod aliquid illius excel-
lentissimis meritis dignum dicere valuisse, sed quod nihil
tuæ reuerentia iussis denegare ratum putau. Idcirco ad
te maximè pertinet harum laus, vel vituperatio literarum.
Vt in tibi, & fratribus, qualescumque sint, placeant; de-
precans, vt meum laborem, orationum vestrarum solatio
remunerare dignemini: & unus merear esse vestrum in
charitatis communione; illius semper memores mandati,
quidixit: Hoc est * mandatum meum, vt diligatis inuicem. ** Surè editio 2:
præceptum.
Ioan. 15.*

Hoc cunctis per necessarium esse constat, & maximè his,
qui gregem Christi regendū accipiunt: quapropter tu, chal-
lissime fili, gregē, quem accepisti regendum, fraterno amo-
te diligenter erudire studeto; & sanctis admonitionib. eum

K. 2

pcr

* Sur. Habet.

per pascua vitæ deducere fatage, * habens in omni opere bono Christum adiutorem, Sanctum quoque VEDASTIVM intercessorem.

* Abest in Sur.

Sicut magno labore domum DEI optimè habes ornatam, & largissimis donis decoratam: ita tibi subiectos bonorum tribus ornare contendit; & eos in diuina laude * deuotissimè fac consistere. Et quod angeli semper agunt in celis, hoc fratres iugiter faciant in Ecclesiis. Tuum est principere; illorum, obedire: Tuum, praetere; illorum subiequi.

Omnium itaque in seruitio DEI una debet esse voluntas, ut una fiat in regno DEI remuneratio. Nullus horis cononicis se diuinis subtrahat laudibus; ne propter aliquam negligentiam cuiuslibet locus in conspectu DEI vacuus inueniatur.

* Abest in Sur.

* Sur. peragat, vitiouse.

Et verba DEI in Ecclesiis intimo cordis affectu prorantur, & cum magna reverentia DEI omnipotentis officia celebrentur. (* Omne vero ministerium Christi milititer, & deuotè impleatur.) Omnis itaque obedientia seculi necessitatibus fideliter & strenue * peragatur. Fide quidem inter omnes concordissima pax, & sanctissima charitas, & deuotio regularis.

Seniores bonis exemplis, & sedula admonitione, erudiant iuniores, illosque diligent, ut filios: & illi, quasi patres eos honorificent: illorum, omnialacritate obedientia preceptis. Tua vero venerande fili, conuersatio, omnibus exemplum salutis.

Cave ut nec minimus quis in tua scandalizetur vita, sed edificetur; & roboretur in via veritatis. quia tibi ex illius salute merces iudicabitur aeterna. Cani capilli extremum denuntiat properare diem. Quapropter paratus esto omnia hora in occursum Dñi DEI tui. Dilectio fraterna, & electio

mosynæ miserorum, & vitæ castitas præparent tibi gradus
in cœlum. Diligenter elabora æternos tibi dies felices.

Honor secularis, quem habes, spiritalem tibi abundet
in gloriam. Festiis diebus, veniente in Ecclesiam populo,
fac eis prædicari verbum DEI: & quocunque vadis, Cleti-
ci, qui seruitium DEI pleniter peragant, tecum eant: sobri-
tate ornati, non ebrietati adsueti: quorum honestas vitæ,
aliis sit doctrina salutis. Curamq; vbique habeas, maximè
pauperum, viduarum, & orphanorum, vt audias in die tre-
mendo à Domino Christo, cum aliis eleemosynam facien- Matth. 25.
tibus: quām diu vni ex his minimis fecistis, mihi fecistis.

Esto miseris, vt pater, & causas ad te clamantium dili-
genter discute. Et parce in te peccantibus, vt Deus tuis
parcat peccatis. Esto iustus in iudiciis, & misericors in de-
bitis, magister virtutum, moribus honestus, verbis iocun-
dus, vita laudabilis, in omni opere * bono deuotus. Fratres * Sur. Dei.
quoque cohortare, vt sanctas diligentissimè legant scriptu-
ras. Non confidant in lingua notitia, sed in veritatis intel-
ligentia, vt possint contradicentibus veritati, resistere.

Sunt tempora periculosa, vt Apostoli prædixerunt. quia 2. Tim. 3.
multi Pseudodoctores surgent, nouas introducentes sectas,
qui catholicæ fidei puritatem impiis assertionibus macula-
re nituntur. Ideo necesse est Ecclesiam plurimos habere
defensores, qui non solum vitæ sanctitate, sed etiam doctri-
na veritatis castra DEI viriliter defendere valeant.

Has verò piæ admonitionis literulas, non quasi nesci-
enti direxi, sed vt veræ charitatis in meo pectore fidem
ostenderem. Quid facit amicus, si verbis scriptum non o-
stendit? Si diuites pauperum munuscula non spernunt;
cur & vestræ flumina sapientiæ, nostræ riuulos intelligen-
tiæ respuere debent? Nam & maiores amnes riuulis au-
gentur in fluentibus. Et ipse Dominus viduæ laudauit duo Luc. 21.

K 3 minu-

* Sur. tamen
fidelis amore
vestra.

minuta, quæ ex inopia suæ paupertatis, larga manu, D^ris
quod habuit, obtulit. Et ego, quamvis scientia inops, * tamen
fraterno fidelis amore, vestræ hæc munuscula dire
pietati, obsecrans ut tam humili ea fraternitatis intuitu
spicere digneris, quam nos pia deuotionis charitate, illi
vobis dirigere studuimus.

Omnipotens D^r E v s te tuosque charissimos fratres
omni bono proficere faciat, & ad beatitudinem æternam
gloriæ peruenire concedat, filij, patres, & fratres, & amici
charissimi.

EPISTOLA XXXIV.

Dilectissimo in Christo patri Petro Archi
episcopo,

ALBINVS AETERNAE BEATITVDI-
nis salutem.

MEmor dulcissimæ humilitatis, & dilectionis vestrae
ingemisco absentiæ illius, cuius charitatis flammæ
in corde ardescit filij. Quanta est huius seculi in
felicitas, quæ tam charos disiungit amicos; quæ filium lo
parat à patre! O si pennas aquilæ habuisssem, vt altitudine
Alpium, velocior Euro, transuolare valuisse: quam cito
ante paternos stetisse pedes, vt refrigerarem ex paterno
visione pectoris mei ardorem.

Sed quia hoc fieri nō valet, induamur nos duplicitis chari
tatis pennis: sumus in Christo semper præsentes, qui sumus
in seculo absentes. Quid est charitas, nisi unitas animo
rum, dicente ipsa veritate, dum pro suis oraret ad patrem
Pater conserua eos in nomine tuo quos dediti mihi, ut sum
vnum, sicut & nos vnum sumus? Ego vero filius tuus, obse
cans

Ivan. 17.

ero te, per eius misericordiam, qui hæc dixit, ut in sanctissimo paternæ memoria thesauro filij tui Alchuini nomen habeas reconditum: & inter dignissimas Deo, oblationes orationum tuarum, vel semel ore proferas.

Quanta tibi, pater optimè, apud pietatis remuneratorem Dominum Christum remanet merces, si me, peccatorum ponderibus prægrauatum, ab iniuriantis oneribus prægrauatum paternæ misericordia precibus subleuare coneris. Fateor, me tantæ auctoritatis degenerem esse filium: tamen iunioris filij, qui à patre in longinquam recessit regionem, roboratus exemplo, audeo dicere: Pater *Luc. 15.*
peccavi in cœlum, & coram te. Ideo non sum dignus vocari filius tuus. Et te credo paternæ memorem pietatis, lassis reuertenti occurrisse atque plexibus: prudentiam quoque tuam recordari beatissimi Iob, pro filiis deuotionis; qui *Iob. 14.* quotidie pro illorum prosperitate D e o sacrificia offerre studuit, valde desiderans, quos seculo genuit, D e o enuntiare.

Ideo in omnibus temptationibus, tanquam aurum in fornae probatus inuentus est. Laus enim patris in salute extat filiorum: & merces pastoris in multiplicatione gregis ad crescere. Nam & ipse princeps pastorum, post resurrectionis gloriam, beato Petro, ob confessionis trinæ, in suo amore soliditatem, pascendas oues, quas pio redemit sanguine, commendauit.

Tuum est, pater sancte, absentes precibus adiuuare: præsentes, verbis erudire, exemplis confortare, ut paterna pietas, & pastoralis deuotio omnibus proficit in salutem. Patres igitur filiis thesaurizare solent. Tu verò beatitudinis thesauros tuis relinque nepotibus: ut per longas Ecclesiasticae eruditionis series cœlestis regni gloria tibi semper augatur.

Opto,

CCCLXV
S III
M. 171.
S IV
24

Opto, si fieri valeat, quatenus me tuæ paternitatis literis reficias, ut auditatis meæ oculis legam, quod auribus audire voluisse, si fortè fieri valuisset. Concessum enim humano generi, pectoris arcana chartis mandare, & literis innotescere tacentibus, quod lingua non valet loquente. Nam & B. Paulus Apostolus absentes filios pietate admonitionis sibi erudire solebat; ut quotidiana literarum lectio æternam patris præceptorum, mentibus filiorum infigeret memoriam.

Sanctitatis vestræ autoritatem diuina pietas ad exaltationem, & gaudium sanctæ suæ Ecclesiæ longæua prospexitate custodire dignetur, Pater dilectissime.

EPISTOLA XXXV.

Charissimo Hermano Aquilæ
Antistiti. †

ALBINVS SALVTEM.

Si mihi gerulus gratus occurrisset, sæpius tuæ scilicet dilectioni, vt literis implerem, quod verbis non potui, & charitatis dulcedinem, lingua tacente, apices monstrarent. Hoc dedit Deus vobis absentibus in solatium, vt per chartas loqui potuissent, & necessaria proferre in eorum alterius, dum animus graui carcere corporis circumseptus, suæ naturæ velocitatem explicaret, indices literas fraternalis amor sibi inuicem dirigeret.

Quid de gloria Sanctorum dicendum putas? ubi nulla tarditas sarcinæ corporalis pia voluntati obfistit, quin quod placeat, impleat. Quid est hoc seculum nisi miseria, & velut umbra fugax, & seducens delectatio?

Festinemus tota mentis intentione ad illam requiem,
quam

*+ Iunauensi, id.
est, Salinbur-
genſi.*

quam nullus dolor perturbat. Ascendamus per gradus charitatis ad illam ciuitatem, in qua Deus solus rex regnat in æternum. In qua, tota beatitudo sine ulla miseria vigeret, & valet. Ut ad illam peruenire mereamur, eodem auxilianter rege, nos in iure exhortemur, & velociore charitatis cursu, tardiorum admonitionis sedulitate trahat. Tum etiam fraterna diligentia, socordiam castiga, vel tuæ sanctitatis precibus iacentem releua, ut fratres dexteræ ducent, non lassescat in via veritatis, qui hucusque se voluebat in seculi cœno.

Veniens veniebam ad sancti A M A N D I protectoris nostri dulcissimas mansiones, quærens amatorem meum, ut eius dulcissimo alloquio refrigerarem animam meam: sed quia necdum de nido I V V A V E N S I ausi optata euolauit, misi hanc inuitatoriam obuiam illi chartulam, ut nostram agnosceret prosperitatem, vel suam nobis præsentiam designaret.

Fidelis amicus diu queritur, vix inuenitur, difficile seruatur; cuius dulcedo omnes seculi superat iocunditates. Quid diuitiae, sine amicis? Avarus aurum querit. Et quid in auro nisi species vana? Nonne unus panis esuriensi melior est, quam mons aureus? Aurum prodesse potest danti, non possidenti. Ideo demus diuitias in præsenti, ut in futuro possideamus illas. Nam pauperis manus gazophylacium est Christi. Nullus melior custos diuitiarum est, quam Christus. Proficiemus te, charissime frater, diuina auxilietur gratia in æternum.



L

EPI-

U C A N J
S J J
W M G W M G
S I V
Z 4

EPISTOLA XXXVI.

Filio meo charissimo Alta
Petric,

ALBINVS SALVTEM.

Psalms. 83.

NTinam iuxta nomen tuum , fiat merces tua alta, & firma. Hoc verò, vt, DEO donante, fiat, labor instanter. Curre , dum lucem habes. Ascende quotidiè per singulos gradus virtutum, vt de te dici possit: Ibunt sancti de virtute , in virtutem : vt, quod sequitur, fieri possit hoc, vt à te videatur D E V S deorum in Sion.

Vigiliis, & orationibus insta; castitate & humilitate, dilectione DEI, & proximi, & aliorum mandatorum observatione te ipsum exorna. Quæ tamen omnia ad charitatem firmamentum respicient: in qua tota lex pendet, & prophetæ. Si nondum adhuc annis, ordine tamen sacro ministerio senior esse cœpisti. Nam presbyter, senior in latini interpretatur, vt significetur moribus esse lenex, constans perfectus, prædicatione verbi DEI intentus, ita vt operi impleat, quod ore doceat.

Tu verò, fili charissime, vigilanter tibi præpara boni meritis domum perpetuam in cœlis. Modò tempus est laborandi, & promerendi Dominum: tunc erit tempus dicandi, & promerendi D E V M. Quia tunc iudicabitur unusquisque secundum opera sua. Non tibi sit seculi pompa suæuior, quæ salus æterna: nec dilectio carnalis dulcior, quæ dilectio DEI. Qui hîc D E V M diligit, ibi cum Deo etiam lœtabitur. Quæ iocunda est beatitudo æterna, quæ misera perditio sempiterna. Qualis in vita futuri fieri velis, talem te præpara in præsenti. Parui temporis hospes perpetuam tibi promereris mansionem. Hodie

te cogita cras esse moritum. Omnis dies quasi ultimus est habendus. Ideo semper homo debet esse paratus, ut quacunque die iudex pulsauerit ostium, aperiatur ei. cum latitia rapiatur ad imalicium anima dum ducetur de corpore.

Quid tunc ebrietas; quid luxuria carnalis; quid pompa vestimentorum: quid anulus in digito: quid aurum in sacculo? Dives moritur similiter sicut & pauper, & una est amborum conditio. Nisi forte quis melior altero sit. Bonus vadit in vitam sempiternam: Impius tormentis traditur aeternis. Esto filius vitae, & non mortis. Esto haeres celi cum Christo, non esca ignium cum diabolo. Per singulos dies semper esse melior studeto, ut cum Deo semper esse merearis.

Saluta meo nomine illos Domini famulos, amicos nostros, filios vitae aeternae. Rogo eos, nostri esse memores in orationibus suis cum familia sua, quam diligenter in seruitio Domini erudiunt: quatenus mercedem ex illis habeant, & non paenam: laudem, & non contumeliam. quia profectus subiectorum, salus est praelatorum: & pastor bonus, ex gregis multiplicatione coronabitur. Ettu, fili mi, memor esto mei, & tui in orationibus, ut diuina nos

clementia perpetuo munere, in salu-

te sempiterna conseruare di-

gnatur. Vale, vale fili in-

aeternum.

Dilectissimis in Christo amicis III.

HVMILIS LEVITA SALVTEM.

SOLET charitas literis appellare, quos oculis certe non valet, quia apices chartarum amoris magnitudinem exprimere conantur, ut oculis legatur in syllabis, quod videri non potest in mentibus. Ideo vestra charissimi, memor germanitatis, hanc chartam vobis in commune direxi, ut cognoscatis, quantam pro vobis habeo sollicitudinem. quia nec terrarum longinquitas, nec temporum diuturnitas delere valuit, quo minus admoneam, quoniam agis diligam, desiderans salutis vestræ prosperitatem & in Deo credere, & in seculo scire. Ut vtrumq; fiat, vnum est studendum, id est, Deo placendum.

Præterit, quidquid amatur in mundo: & solum permanet, quidquid agitur in Deo. Ideo temporalia non tarditer ad æternam tendentium, dicente discipulo, quem diligebat Iesus: Nolite diligere ea, quæ in mundo sunt. Numquid ex umbra panis esuriens se saturare poterit à Umbra ea est seculi felicitas: vera tantummodo in futuro spectatur.

Nolite vinculis seculi teneri, nec laqueis diaboli ligari. Et vincula, quæ per confessionem, & pœnitentiam praedistis, nolite reformare, ut liberas manus valeatis relevare ad Dominum, & puro corde deprecari, quem toto corde amare debetis. Vigiliae, & orationes sint assidue vobis. Beatus seruus ille, quem cum venerit Dominus eius, inuenientem vigilantem. Vigilandum est in bonis operibus, non dormiendum in delectationibus carnalibus. Et ebrietatem, quasi perditionis foueam fugite, quia iuxta prophetam, Vinum & ebrietas aufert cor.

Pompe

2. Ioan. 2.

Lnc. 12.

Osee 4.

Pompas vestimentorum non sectemini. Beatus ho- *psalm.39.*
mo, qui non respicit in vanitates, & in insanias falsas. Melius est, animam ornare, quæ permanet, quam corpus vestimentis, quod putreficit in puluerem. dicente quodam PHILOSOPHO; Ridiculum est, in vanitate laudem querere: volens, vestimentorum superuacuas curas, vanitatem intellegi. Quod si plurimi hoc faciunt: scriptum est: Non se- *Ecclesi. 12.*
queris turbam, ad faciendum male. Melius, cum paucis faluari, quam cum plurimis perire.

Scitote, cuius exempla diligentius sectamini, eius meritis maximè adhæreatis. Christus per humilitatem, viam nobis fecit in cœlum. Quid superbiam prauorum sequimur? Angelus per superbiam proruit è cœlo. Quid superbit homo terra, & cinis? quis superbienti homini locus deputetur, si angelo superbienti infernales pœnæ præparata sunt?

Non est opus vos, quasi inscios, admonere: dum Euangeliū Christi ante oculos habetis, legite, & intelligite, quid sit cauendum, vel quid obseruandum. Quod ibi scriptum, est necesse ut fiat, dicente ipsa Veritate, Cœlum & *Math. 24.*
terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Item: Siquis diligit me, sermones meos seruat. Indiciū dilectionis Dei est, mandata eius obseruare: & præmium dilectionis, visitatio diuinitatis; eo ipso promittente, quem diligenter iubemur: Qui autem diligit me, diligitur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ci-
meipsum. Pro me orantes vale-
te viri fratres charif-
simi.

•S(:)S•

L 3

EPI-

Ad quendam discipulum.

Proverb. 9.

Dilectionis vestræ literas grata suscepi dextera, & in legebam animo, intelligens in eis, vestræ virtutis prosperitatem, & literalis exercitij studium, ex quod dictantis eloquentia claruit. Hoc mihi maximum esse legendum constat, ut filios florere videam, in conuersatione puritate, & profectus diligentia. Iste est ornatus, quem optauit meus. Ista sunt deliciae, quibus illos desideravi stiri. Ista est munditia, quam concupui in illis. Haec enim epulæ, in quibus illos iocundari amauit. His etiam anima reficitur esuriens, & sitiens iustitiam. Hoc est vinum, quo miscet sapientia in uitatis ad mensam suam, dum septem lumen subnixam sibi domum construxit. In hac domo, frater charissime, te habitare semper obsecro; illuc te epulis pasci deprecor: huius te calicis mero inebebam exopto. Non vanas seculi pompas, non noxias corporis delectationes exsequi, quæ non proderunt ambulantibus in eis: sed suos sequaces, in æternæ perditionis voragine demerserunt.

Tu vero, amor animæ meæ, si quid sordium ex his contraxisti, lacrymis laua pœnitentiæ, ablue, & vitæ meliori manu dele, memor tui, memorque mei; animam meam lætificans, tuæ parcens. Quia salus tua, consolatio mea est. Noli patrem sua mercede fraudare de te. Noli, filii nomen delere in te. Si prote non vis, vel pro me fac. Sive vel me non curas, & te negligis; Deum time, dilige, honora. Ille est verus pater, ille redemptor, ille omnium largitor bonorum: fuscita dormientem in deliciis animam.

Contra

Contra tres tibi quotidie pugnandum est inimicos: contra diabolum, contra seculum, contra carnem. Quomodo poteris securus dormire? Te verò dormiente, vigilant, qui te occidere quærunt. Quomodo non times flamas æternæ perditionis? Quid tu parui temporis hospes, patram quæris in peregrinatione, & illam obliuisceris, in qua ciuis conscriptus es in baptismo? Cogita, quis pro te peperdit in cruce. Huius latus lancea perforatum tuæ sanguinem redemptionis emanauit. Noli paruipendere preium tuæ salutis. Pro te traditus es, qui te fecit: imò omnium creator, ad redemptoris tuæ preium le ipsum expedit.

Cur te ignobilem facis, nobilissimo emptus precio? Noli ex filio Dei, seruum facere diaboli. Quid pompatiæ carnem induis vestimentis, & ornamenta animæ non quæris? Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius: qui *Psalm. 39.* non respicit in vanitates, & in sanias falsas.

Melius est, collo, sapientiæ monile suspendi, quam se-
tico vanitatis inuolui. Melius est castitate lumbos circum-
cingi, quam numerosis pomparum cingulis constringi;
& ardentes bonorum operū in manibus portare lucernas,
quam digitos anulis ostentationis radiare. Satius est pedes *Ephes. 6.*
in Euangelium pacis expeditos esse, quam longo fascia-
rum nexu ligari. Heu, quod corrumpitur, tanta diligen-
tia ornatur; & quod permanet, tanta socordia negligitur?
Illud, omni cura ornatur, pascitur, & vestitur; hoc, quasi
vile subpellabile, nullo decore dignum ducitur? Terre-
num colitur, & cœlestè non curatur? Dei imago vilescit;
& terræ species honoratur? Non ita, fili, non ita in
te sit.

Tu

*Ecclesiastes 6.**Luc. 12.*

Tu sacri altaris minister; tu summi honoris socius: sapientia vas: flos adolescentia; dignitatem tuam atende; & esto, quod nominaris. Cogita, corpus tuum in puerem reuerti, & animam tuam ad iudicium rapi. Quia tunc esse cupias, talem te nunc exhibe. Nunc tempus laborandi; tunc, remunerandi: nunc, promerendi; tunc accipiendi. Qui plus laborat, plus mercedis accipiet. Curare, dum lucem habes. Qui hodie es, cras non eris, dicens rescripta: Noli tardare conuerti ad Dominum, quia nec scis quid futura pariet dies. Omnis gloria seculi, quasi fæni decidet. Arescit fænum, & flos eius deperit.

Memento creatoris tui, antequam veniat tempus afflictionis. Pugnemus fortiter, & vincamus perniciter, ut coronemur feliciter. Illum habemus adiutorem, quem & remuneratorem. Ille, prior hostem vicit, ut nos vincere possimus: triumphauit in cruce, ut nos regnemus in celo: ad nos descendit in terram, ut nos ascendamus ad illum in cœlum: filius hominis factus est, ut nos filii Dei esse mereamur; cui laus, & gloria, in omnes æternitates, Amen.

EPISTOLA XXXIX.

Dilecto filio Ioseppo.

ALBINVS SALVTEM.

Hebr. 12.

Iob. 5.

Rom. 8.

Psalms. 49.

DOLO de dolore corporis tui: sed gaudeo de felicitate animæ tuæ. Quia flagellat Deus omnem filium, quem recipit. Occidit, & vivificat: vulnerat, & medetur. Spes præmij, solatum tibi sit laboris. Hic dolores cito finiuntur; præmia patientiæ nunquam. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturæ gloriam, quæ reuelabitur in sanctis. Quapropter cum gratiarum actione immola Deo sacrificium laudis. Non

*Proverb. 27:1.
Sap. 3:1.*

Non est hæc tribulatio poenalis, sed propitiatio venia-
lis. Aurum in fornace per ignem coquitur, ut purius exeat;
sic anima, corporali tribulatione, ut mundior procedat ad
vitam. Disciplina Domini non debet cuiquam esse discipli-
nula: sed hilariter accipiat, quod pius medicus salubriter
immittit. Inter flagella pietatis, orationes humilitatis ad
Dominum dirigantur: ut, qui misericorditer castigat, cle-
menter ignoscat, ut salus æterna patienti proueniatur.

Nostris quoque memor, sedulas pro nobis fundere pre-
ces non cessat: quatenus diuina nobis prouideat clementia
perpetuae conuersationem prosperitatis. Adhuc dubio sta-
mine pacis subtemine causa texitur: & dum plenum perficitur
vestimentum, mox ad induendum vestræ dirigetur
fraternitati.

Valde placet, quod domum Dei renouare cecepisti.
Stude, ut & istam perficias; & alteram de qua præsens dixi,
facias consecrari: ut pro duplice Dei honoris labore, mul-
tiplicem mercedem accipere mercedem. Viuas, vigeas, &
valcas feliciter, fili charissime.

EPISTOLA XL.

Dilectissimo patri illi, illi salutem,

RATIAS agamus Domino Iesu, vulnerati, & me-
denti: flagellanti, & consolanti. Dolor corporis,
salus est animæ: & infirmitas temporalis, sanitas
sit perpetua. Libenter accipiamus, patienter feramus vo-
luntatem Salvatoris nostri.

Sed nunc nolit tardare. Fac, quod facturus es. Curre,
dum lucem habes. Festina ad eum, qui vocat te. Quod ne-
cessitas cogit, voluntas præueniat. Esto scriba sapiens, ne-
gotiator fidelis. Vende terrena, & eme cœlestia. Quid
M specta-

*Ioan. 12:
Matth. 13:
Matth. 3:*

spectatur diei crastini incertitudo? Non sit dilatio in laute animæ. Quod animo cogitat ur, opere perficiatur quod infirmitas optauit, sanitas peragat.

Testis est, qui omnia nouit, mei cordis: ho c plena charitate, & fideli consilio me suadere. Scio, me post te, in loco tuo talem non habere amicum: sed magis te velim amicum habere in honore permanente, quam percutere; & intercessorem apud Deum gaudere, quam largitorem in seculo. Petatur a Deo auxilium, ut amicorum confirmetur silium, & suis iter salutis ostendat, & dirigat in viam pacem quos proprio redemit sanguine.

Ecce quali preciosum emptis sumus. Non amemus ea, quae nos separant ab eo: qui nos usque ad mortem suæ carnem dilexit. Plurimos dies seculo seruiuimus satis: vel paucos qui restant, viuamus Deo nostro; ut digni efficiamur facti illius videre, qui dixit: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Latus lege, & constanter incipe, & feciter perfice, & sit Dominus tecum in æternum.

EPISTOLA XLI.

Flauio Damocetæ,

*ALBINVS PERPETVÆ PACIS
salutem. v.*

DE vestra valde gaudeo prosperitate, & de munere charitatis vestrae multum gauisus sum. Tot agmina gratias, quot dentes in dono numeraui. Mirum nimal, duo habens capita: & dentes singuli, non elephantinæ magnitudinis, sed eburnæ pulchritudinis. Nec ergo huius bestiæ territus horrore, sed delectatus aspectu. Nec me frendentibus illa mordet dentibus. Timui: sed blandi-

Id

adulatione, capitis mei placare capillostarrisi. Nec ferocitatem in dentibus intellexi, sed charitatem in mente didomi, quam semper fideliter in illa probauit.

Sed quantum gaudeo in amoris dulcedine, tantum dolor in absentiae longinquitate. Noluissim tanto tempore ab invicem separari, quos eiusdem charitatis dulcissima colligant vincula. Quid faciam, nisi lacrymans sequar amicum; donec reueniat, quem animus optat habere presentem?

O fili charissime, inter occupationes seculi, non obliuiscare tui: sed dum corpus epulis pascitur, anima cleemosynis reficiatur. Et dum fatigata ex itinere membra quiete refocillantur; mens in Deo, orationibus roboretur: & in diuersarum auditu causarum iustitia semper resonet in ore; & ex intimo cordis affectu, misericordia proueniat consolatio; & spes æquitatis non fallat aduenientes: nec pietatis desint suffragia confugientibus ad vos. quia pietas in pauperes gesta, æterna remuneratur beatitudine.

Hæc, fili mi, faciens, floreas in omni virtutum deco-
re: & te, quounque vadis, diuina comitetur protectio:
euntemque ubique deducat prosperè, ac redeuntem cum
omni prosperitate. Citius redeas ad nos, ut gaudeat.

amor patris in filio: & laudetur Deus ubique,
qui vos famulos sibimet inuicem præ-
sentabit ouantes. Vigetas, valeas,
& floreas dulcissime Da-
mæta.



M 2.

EPI-

Dilecto amico Eada presbytero;

ALCVINVS SALVTEM.

DIlectionis tuæ munera magna deuotionis laetitia suscepi; desiderans donante Domino Christo prosperitatem vos & præsentem habere, atque turam: agnoscens antiquæ in vobis munificentia largitudinem. Quapropter & in nobis antiquæ fidei reformatissimicitiam.

Vtinam, vt diuina clementia in nobis usque in finem vitæ perseverare faciat, q[uod] ab ineunte ætate in vobis operi dignatus est. Præterit enim figura huius temporis; idcirco necesse est, vt nos dies extrema in dilectionis gemina sobrietate vestitos inueniat. Quia qui offenderit in uno, est, in uno charitatis præcepto, factus est omnium reus.

Habeto nos, obsecro, socios beatitudinis tuæ, sicut et cupimus socium habere prosperitatis nostræ: & orationibus deuotionis vestræ deduc nos in eundem paupertatum gradum, in quo, perficiente Deo, salubriter consistitis. Tenebas in manibus, quod nos olim tenere cogitauimus. Seclusus seculi nostram nauiculam procellosis ventis, invaginam diuitiarum rapuerunt. Sed te precor, ut me pietatis..... in portum quietis reuocare studeas. Cupio sed non facio. Tranquilla est paupertas, quam felix olim amasti.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Sed paupertas haec, humilitatis gubernacula regatur: & charitatis velo flante sancto Spiritu in eam, æternæ beatitudinis portum perueniat: ubi mei nominis memor intercedere pro mea infelicitate, te supplex obedi-

1. Cor. 7.

Iacob. 2.

Matth. 5.

cro, vt duplicem habeas mercedem: vnam, tui ipsius; alteram, fratrii tui. Utinam, vt merear te videre cum laetitia illic, si hic fieri non possit.

Diuina te gratia comitetur, & in omni bono florere faciat, vt multiplici bonorum operum fructu vitam mercaris ingredi sempiternam.

EPISTOLA XLII.

Pio patri Felici Episcopo.

ALCHVNI HVMILIS LEVITA
salutem.

A Liquorum fratrum relatione, nobis notissimus es, pieate, et si non facie. quapropter presumpsi per fiduciam charitatis, quæ est Christus, volens me ipsum tuis, tuorumque fidelium, per te, sacrosanctis orationibus commendare: non meis meritis exigentibus, sed tuis bonis rumoribus instigantibus. Quapropter supplex obsecro, vt me ea charitate Salvatori nostro commendetis, qua ille omnes suos coniunxit. Charitas enim neminem spenit.

Per eum, & propter eum, qui venit in hunc mundum, peccatores saluos facere, & veniet ad iudicium, iustos coronare: vt tunc ego peccator, vel veniam per vestras orationes accipiam, ubi vos per Dei misericordiam, coroham accipiatis.

State fratres, & viriliter pugnate pro eo, qui fortiter pro vobis vincebat. Non quisquis cœperit, sed qui perseverauerit usque in finem, saluus erit. Et proficiscimini de die in diem, sicut sancti Dei, qui ibunt de virtute in virtutem.

M 3

Plura

CCANJ.
SJJ
om, am,
SIV
24

Plura scripsisse vobis, si superfluum non viderem
eos admonere de virtutibus, quos rogare debeo, vt inter-
cedant pro peccatis meis. Sed charitas, quæ neminem spe-
nit, etiam sustinet. Quid plus? Iterum, iterumq; obsecro
vt me in fraterno amore accipiat in communionem ora-
tionum vestrarum: quatenus D E V S charitatis remunerat
vos accipiat in æternam gloriam regni sui. Valete, & vi-
te felices in Domino IESV fratres charissimi.

EPISTOLA XLIV.

GCOEPTIS literis tuis frater sancte, latus de salu-
tua, sed tristis de tribulatione, & psequotionibus
tuis quas te pati à gente tua, in illis tuis apicibus agno-
ui. Attamen, beatos esse Domino dicete, legimus, qui per-
sequotionem patiuntur propter iustitiam. quoniam ipso-
rum est regnum cœlorum. Quapropter suadeo tibi, frater
venerande, vt viriliter in fide integra, & deuotione infat-
gabili, pro commissis tibi à Christo quibus certare non cel-
les: ne mercenarius fugiens, & non pastor firmus ab ipsi
Domino, & Pastore omnium deputeris.

*Matth. 5.
Iann. 11.
Lac. 9.*

Matth. 10.

Aspice in eum, qui pro ouibus suis animam suam pol-
lit, qui omnibus generaliter præcipiens dixit: Qui vult veni-
re post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam, &
sequatur me. Cui gregem Christiabiturus relinquis? Ne
hæc dico, quasi me excusando ad benefaciendum servis
D E I: sed magis te adhortando, vt bona, quæ incepisti fac-
re, ad finem æternæ salutis perducas. Qui perseverauerint
vsque in finem, hic saluus erit.

Idecirco scripsi ad OFFANVM regem, vt te adiuuaret, &
defenderet sanctam Ecclesiam secundum suam potesta-
tem, quatenus tibi liceat D E O seruire, & talentum tuum
multi-

multiplicare in loco, vbi accepisti cum; & mercedem
exspectare perpetuae beatitudinis, dicente Domino tuo: *Luc. 19.*
Euge serue bone, & fidelis.

EPISTOLA XLV.

Beatissimæ, & sanctissimæ D E I Geneticis
semperque Virginis MARIAE con-
gregationi, & pio patri Mo-
roaldo,

VLTIMVS SANCTÆ ECCLESIAE CLI-
entellus Alchuinus in Christi charitate
salutem.

SÆPIVS vestræ sanctitatis audiens famam, & ideo
me vestræ familiaritati adiungere desiderau. sed
modò tempus opportunum occurrit per præsen-
tem fratrem obnixis precibus me ipsum vobis commen-
dare. Quapropter per sanctæ Virginis filium, vestram sup-
pliciter obsecro vnanimitatem, ut me, licet indignum, ve-
stris animis, atque manibus accipere dignemini, non qua-
si signatum, sed quasi fratrem. quia licet oculis carnis non
vidissem, tamen oculis cordis vos videre video, & valde
diligo; honestatemque ritæ vestræ animo complector,
studiosè cupiens vestram beatitudinem ubique gaudere
in Domino, & ad perpetuæ pacis peruenire latitiam.

Orantes pro nobis, vos semper valete in
Christo fratres dilectissimi.

• 1560

EPI-

MCCLV
813
omg. 1m.
814
24

EPISTOLA XLVI.

* Homero.

Dulcissimo filio viro illi,
salutem.

Lxx. 5.

Eabeunte, tentauis sepius ad portum stabilitatis nire: sed Rector rerum, & dispensator animarum necdum concessit posse, quod olim fecit velle. Ad huc ex radice cordis nascentes cogitationum ramuscula ventus tentationum flagellat, ut consolationis flores, & affectionis fructus nutriri nequieverint. Tota nocte labores nihil cepimus. quia necdum in litore Iesu stetit, pracipiens in dexteram nauigij rete mitti.

Patrocinia sanctorum non obliuiscere. Res Ecclesiasticae pulcritudinis oculis occurrentes noli negligere, acquiras. Nostra rusticitas auara est de talibus: vestimenta larga est de omnibus. Memor esto poetici præfigi.

Sinibil attuleris, ibis Homere foras.

Hoc de te, tuoque itinere prophetatum esse quis ditat? si Christum SIBYLLA, eiusq; labores, prædixit ventrum, cur non NASO HOMERVM, eiusque itinera præcepit? Paululum propter refectionem animi rhetoricae lepiditate.

Sed vt iterum ad seriem rugosa fronte reuertar: Vere uanimem depositis amicum, te custodem animi obsecrans, vt consilium salutis animarum nostrarum, cum fragiis sanctorum Apostolorum à Deo depreceris. Nam nos ambos, vt recognosco quoq; necessitatis catena costringit, & libero cursu voluntatis astra intrare non permittit: nec est qui compedes rumpere valeat, nisi qui inferre claustra contruit: qui est via, & veritas, & vita. Via pergentibus per illum: veritas, venientibus ad illum: vi manentibus in illo.

Iean. 14.

Quid habeo plus scribere? quia omnia necessaria nosti. iuxta opportunitatem portantis, semper dirige mihi literas, ut sciā de prosperitate tua, & itinere tuo, quando, vel quō venias miserante Domino.

*Prospere cuncta, precor, faciat tibi Christus, HOMERE,
Quicunque conseruet semper, ubique. Vale.*

EPISTOLA XLVII.

Flaccus Albinus,

FLAVIO DAMOETÆ FILIO CHARISSIMO salutem.

Tuæ congaudeo dilectioni, & præfatæ fidei congratulor. quia semper ubiq; te fidelem inueni, & benuolū erga me agnoui, sicut filium in patrem; nec aliter inueni, nisi vt voluntas tua semper meam subsequata est voluntatem. Ideo tedium habet animus meus de absentia faciei tuæ: tamen in charitate cordis mei, te semper præsentem habeo, Dominumq; pro tua deprecor prosperitatē, vt te mihi in gaudium, tibiq; in salutem longius conseruare dignetur temporibus.

Sed valde sollicitus sum de itinere profectionis in hostem. quia plurima solent in talibus euenire pericula rebus. Tamen qui iustitiam habet cundi, & pro D^EO decertandi, fiduciam potest habere de auxilio illius, pro cuius amore taatum subire laborem non formidat. Tu verò iter tuum confessione confirmare, eleemosynis roborare, orationibus seruorum D^EI vndique munire memento: vt angelus Domini te inter omnia aduersa tueatur, & comitetur; quatenus cum securitate vadas, & cum pace reuertaris.

Ego quasi penè orbatus filiis remaneo domi. Damœta Saxoniam, Homerus Italianam, Candidus Britanniam recessit:

N

cessit:

CCANJ
SII
om, im,
SIV
Z4

cessit: Martinus in vico apud sanctum Iodocum infirmi remansit. pro cuius sanitate, ut D E I depreceris clementiam, obnoxè flagito. De Mopso, qui apud S. Martinum, cut audisti, infirmatus est, nihil audiui certum. nec te abunte missos illius vidi. Sed pene tristitia totus absorptus in filia mea, quæ tres dies penè desperata fuit. sed modicdonante diuina misericordia per preces seruorum D E I, eleemosynarum largitatem, benè consolati sumus in qua benè recuperata est.

Ecce qualibus pater tuus agitatus est fluctibus. Tu charissime, cum tua reverentia commilitonibus pro eorum tercedere satage; quatenus spiritus consolationis hosc animi motus tranquilla pace componere dignetur; DAVID dilectum suum, & vos omnes victores cum gaudio reducat in patriam. Aeternæ patriæ ciuem te faciat diuina clementia dilectissime fili.

EPISTOLA XLVIII.

Benedictio sancti Benedicti puero
Mauro

ALBINVS SALVTEM.

IBELLVM, quem me rogante scribere promisi, rogo ut tua fiat promissio firma, & mea implanta lætitia. Multis haurientibus fons non siccatur, nra viua: ita nec vestra minuitur sapiëtia, tametsi si nullus inde hauriat indigentia. Noli spernere me rogantem, nec promittentem abnuere, sed veritas tua, fiat satietas mea. Dilige diligentem te, & da petenti, ut omnia. Quia hemandat parenti placere. Valeas feliciter cum pueris tuis, in poculo charitatis orantes pro me fratres saluta.

EP.

EPISTOLA XLIX.

Dilectissimo fratri Agino
Episcopo

ALBINVS SALVTEM.

RECDRETUR charitas vestra, quod præsenti collo-
quitione aliquas mihi Sanctorum RELIQVIAS di-
rigere promisiſti, vt honorificetur Deus in illis, &
noſtra protegatur vita cum illis, & veſtra accumuletur
merces pro illis. Ecce adeſt gerulus fidelis; Filius equidem
meus ENGILBERTVS: per cuius manum mittere poteris,
quod veſter animus nobis dirigere curauit.

Obſcro, vt veraciter perficias, quod hilariter promi-
tebas. Si quid enim benignitas veſtra huius religioſæ petiti-
onis peregerit, humilitas noſtra gratiſſimè accipiet: vobis-
que, ſecundum temporis opportunitatem, & voluntatis
veſtriæ agnitionem remunerare non deſiſtet: & vbi cunq; ſanctorum patrocinia perferuntur, ibi quotidie orationes
pro vobis aguntur. Diuinate vbi que comitetur benedictio
ſanctissime pater.

EPISTOLA L.

Probatissimo amico Damocetæ

ALBINVS SALVTEM.

NIMIVM mihi longum videtur tempus, quod tuꝝ
dilectionis faciem non vidi, verba non audiui.
Et quantum ex præſentia tui gaudebat animus:
tantum in absentia contristatur. Quid faciet mens,
niſi lugeat, dum paucos habet amicos? Proh dolor:
ſed illi ſemper absentes. tamen, quod valeo, faciat. ta-
men orans ante Dominum, tibi proſpera ſemper illius
N 2 conce-

CCANJ.
SJJ
Umg. III.
SIV
24

concedere clementiam deprecans; cuius dilectione cum
semper impleatur pectus.

Hæ sunt verae diuitiae, quæ nunquam decipiunt habe-
tem, nec in ipsa morte amittuntur, sed plus abundant, dis-
cernitur, quod amat. Inter temporalia, & æterna in-
tercessit aliquid plus diligitur, antequam habeatur; vil-
scit autem cum aduenerit: Æternum autem ardenter
diligitur adeptum, quam desideratum. Ideo plus amem
æterna, quam temporalia, ut in æternitate beatè & feliciter
vivere merecamur. Valeto in secula.

EPISTOLA LI.

Fideli amico, & venerabili Angilberto
Primicerio.

HVMILIS LEVITA ALBINVS
salutem.

MEMOR conductæ inter nos amicitiæ, has literas vobis dirigere præsumsi, deprecans, ut benignè in-
rum portitorem literarum suscipere dignemini, a
peregrinationis illius viis Dominum Pipinum regem sub-
uenire deprecamini. Regum verò merces in miserorum
iuuamine, & maximè peregrinorum, sacra sancti Petri pri-
cipis Apostolorum limina petentium, magna, apud diu-
nam constat esse clementiam.

Insuper charissime frater, devotissimè deflagito:
dona dulcissima, & mihi multùm necessaria, id est Sanctæ
RELIQUIAS mihi vel alias transmittere curaueris. Hil-
arem enim datorem diligit Deus. Qui te abundare facit
in omni bono, & inter Sanctorum gloriæ constituat, quo-
rum mihi reliquias tua benevolentia dirigat. Floreas filii
virtutum coronis, sapientiæ decore, & sancta dilectione ad
Deum, & bona fide ad homines in æternum,

EPI-

a. Cor. 9.

FLACCI ALCVINI.

TOI

EPISTOLA LII.

Omnibus in Christi charitate amicis.

HVMILIS LEVITA ALCVINVS
salutem.

VICINQVE iste presbyter NORBET nomine ad vestram perueniat præsentiam, obsecro, ut benignè cum suscipere dignemini, in quo cuncti negotio, vel necessitate opus habeat. Certissimè DEVUM habeatis bonitatis vestrae remuneratorem: qui dicturus erit in die iudicij: Hospes eram, & collegistis me.

Et si mea quid paritas potest, vobis gratiarum actiones, in quantilibet causa rependere studiosè, & fideliter facere curabo. Hunc vero, vel alios, pro Christi nomine peregrinantes in suam mansionem suscipientem illum, divina in cœlesti habitatione suscipiat clementia. Valete viri fratres in Christo.

EPISTOLA LIII.

Venerando viro Ærico Duci,

ALBINVS MAGISTER SALVTEM.

ATIS mihi sacra lectionis intentio, & piæ humilitatis conuersatio placet in vobis, & quando mea paruitatis mansiunculam visitare non sprouistis. Vnde & gratias agimus vestrae benignitati, DEVMOVE diligenterissimè pro vestra deprecamur hospitate; quatenus suæ fortitudinis dexteram contra aduersarios sancti sui nominis victoricem ubique faciat, & ab omni aduersitate diabolice fraudis, seu à cunctis inimicorum insidiis suæ magnæ pietatis potentia clementer custodiat: cuius sanctissimam voluntatem, in obseruatione præceptorum illius, quantu[m] humanæ possi-

N 3

possi-

CCANJ
SII
Mg. III.
SIV
Z4

possibile sit fragilitati, intentissimè efficiens, vt te in præ
speris regere, & in aduersis protegere dignetur.

Plura tibi, vir venerande, de christianæ pietatis obf
fuatione forte scripsisse, si tibi docto[r] egregius, & p[ro]p[ter]e
cœlestis vitæ præceptor PAVLINVS meus præstò non eff[er]it
de cuius corde emanat fons viuentis aquæ, & in vitam salu
tis æternam. Illum habecas tibi salutis æternæ conciliati
rem: nec aliquid tuæ conuerstationis pes impingat: sed
eo itinere currens, diuina donante gratia, ad perpetuas
portas vitæ peruenire mercatur. Viue, & vale feliciter in
ternum.

EPISTOLA LIV.

Dilecto amico Magenhario comiti

HVMILIS LEVITA ALBINVS
salutem.

AV DIVI VOS, vir venerande, nostræ paruitatis opti
se colloquia, & vt verè fateor, vestram valde de
derau[er]i præsentiam, vt dulci colloquitione vester
prudentiæ consolarer. sed quia terum euentu hoc fieri non
valuit, visum est mihi condignum, literis implere quo
verbis non potui; & in eis in vos ostendere dilectionem
& vobis utilia per chartam suadere, vt vester profectus, me
us esset fructus: vt qui in sublimi dignitate positus es ince
ris, per opera iustitiae & misericordiae cœlestem tibi mer
aris honorem.

Cogita, quod transitoria sunt hæc omnia, quæ in hoc
seculo habemus. Et quia necessarium est uniuersitate ho
minum veniam sibi per temporalia benefacta promovere
& gloriam. Quapropter ut ad perpetuam peruenias, Deo
donans

Iren. 4:

donante, beatitudinem; nulla seculi delectatio, nulla carnales concupiscentia impedit: sed esto in iudiciis iustus; in operibus misericordiae pius; viduis, & orphanis quasi pater: defendas eos ab omni violentia.

Esto quoq; Ecclesiis Christi, quasi frater, ut per orationes seruorum Dei, inter pericula hostium, fluminum, viarum, infirmitatum, diuina te protegat dextera, regat, atq; conseruet semper, ubique. Fac, ut quotidie pauperes de pane tuo comedant. quia miserorum consolatio, tibi erit æterna remuneratio.

Esto quoque in consiliis prouidus, sapiens in cogitationibus, modestus in sermone; Dominum semper habens presentem: quatenus illius loquens veritatem, eius dignus officiaris protectione. Corpustum in castitate, & animum in sobrietate conserua. Fidelis esto ad dominos, quos dedit tibi Deus; ad amicos benignus; ad omnes homines æquus; & misericordis largus. Debitoribus, vel in te peccantibus culpas ignosce, ut tibi ignoscatur Deus, si quid contra eius fecisti voluntatem.

Tuis quoque diligenter præcipe subiectis, ut iusti sint in iudiciis, misericordes in miseros, Deum timentes, Ecclesiamq; Christi honorantes; ut illorum bonitas tibi in mercedem computetur. Sæpe subiectorum peccata rectoribus implicantur, si minus diligenter eos admonent Prælati, quomodo facere debent: sicut eorum bona dominis profundunt ad præmia, qui eos studiosè erudiunt, Deum timere, eiusque obedire præceptis.

Obsecro, ne me presumtuosum arbitreris, hæc tibi scribentem. Charitas Christi, & vestræ salutis amor, & vestræ bonitatis fiducia, hæc monuit scribere; optans, vos & praesentem habetē prosperitatem, & futuram promereri beatitudinem. Diuina vos gratia in omni bonitate florere faciat, vir dilectissime.

EPI-

M.C.A.V.I
S.J.J
U.M. I.M.
S.I.V
Z.4

Charissimæ in Christo sorori.

Verè fateor, quod valde desiderauī ad vos venī
propter aliquas necessitates, quas vobis cum co-
ferre volui. Sed me impediuit acerbitas febriū
quæ me adhuc per vices fatigat. Quapropter citius an-
hibernale frigus REGI obuiam properare curabo.

Placet mihi valde labor vester in sanctæ DEI genericæ
Ecclesiæ exaltatione, & librorum consideratione. Vnde
in his laboribus, quantum poterimus, vestram solerūt
adiuuarē gaudemus. Et puer ille, secundum temporis op-
portunitatem vobis ferat auxilium. Vester verò profectus
in Domino, mei animi est magna voluptas. Ideo, quod co-
pisti, perficere, DEI adiuuante misericordia, diligenter
mē studeas. Vnusquisque secundum suum laborem pra-
mium auditurus erit. Et, qui plus laborat, plus mercede
accipiet. Nunc tempus est operandi: veniet verò tempus
remunerandi. Quales tunc esse optemus, tales nosmē
ipsos nunc præparemus. Sapienti pauca sufficiunt. Sed
sagacitatem animi vestri hæc omnia melius intellexisse,
quam me scripsisse; & operibus implere, quod vix verbis
explicare valeo.

Vtinam citò adueniat tempus, ut tecum cordis mei co-
feram angustias, ut consoletur animus meus ex vestra pi-
tatis perfectione. Plurimum mihi placet CRVX, quam vo-
stra mihi benignitas direxit. Et credo vos æternam habe-
re à DEO mercedem pro illius opere; & assiduas sancti Lu-
ci intercessiones, & laudabiles gratiarum actiones ab eis
qui ad illius patrocinia confugere solent.

Nunc soror alma vale, soror ô charissima nobis.

Ei nunc, & semper, dulcis amica, vale.

ERL

Dilectissimæ in Christo sorori.

PRospera, donante Dœo, his sanctissimis diebus habuimus solennia: & latus fuit Dominus rex, & omnne palatum in gaudio. Et ego frater vester magnum habui gaudium de prosperitate, & salutatione vestra, de gratissimo munere psalmodiæ, & missarum celebratio-
nis, quod mihi magna charitate direxistis. Sed & cappa, quam mihi aptissimam misistis, valde animo meo placet. Veniente vero ANGILBERTO, fortè aliquid certius vobis demandare habemus. Vos animum vestrum firmate in ser-
uitio Dœi, & in salute animæ vestræ viriliter domum ædificare vobis sempiternam in coelis, ut paratam habeatis beatitudinem cum Christo, & Sanctis eius: quod plurimi ver-
bis optant, sed rebus non perficiunt. Tu vero labora diebus,
horis, momentis, ut abundantanter habeas, quod feliciter di-
ligas.

Credo te de orationibus Evæ, sororis nostræ fideliter facere, sed ex mea petitione aliquid superadde: quia mihi fidelis fuit. Et ubi plus fides innotescit, quam post mortem amicorum? Dic COLVMBÆ, ut memoria confirmet, quod accepit, donec veniat, qui superadiicit. Beati, qui esuri- Matth. 5.
unt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Desiderium vestrum impleat, & cor charitate illuminet, qui ve-
nit mundum illuminare, & ignorantia tenebras de-
cordibus in eum expellere credentium. Vita,
& salus Christo donante vos comitetur

in æcum.

O

EPL

Chatissimæ in Christo filiæ Eugeniae.

ALBINVS SALVTEM.

Paret mihi, sœpius in paruis literis, non tamen p
ua officia salutationis tuæ dirigere germanitatu
tuis ingerere cogitationib. admonitionis meæ
promissionis salutiferas collationes: quatenus nobiliss
imum virginitatis decus, integro conseruare corpore
neris, rememorans gloriosam castitatis mercedem. Ecce
in cœlis per magna æterni regis palatia Agnum sequuntur
quocunque ierit. Quid hac gloria beatius; vel hac ben
tudine gloriosius? Vbi naturæ victor, omnium conditoris
creaturarum consociabitur.

Nec labor quotidianus deterreat, quem spes tantum
munerationis consolabitur. Paucorum labor dierum,
ternis remunerabitur: præmiis. Sit quoq; virginitas ele
mosynarum largitate fertilis: nec sibi caducas diuitiarum
gazas auida congreget manu: sed larga mente, in membra
sui distribuat sponsi. Geminis, charitatis scilicet, &
stitalis pennis, ad alta cœlorum regna transuole. Nec
ego, carnis concupiscentiæ vinculis libera, avaritiæ laqueis
constringatur: sed sui ipsius viætrix, etiam seculi, ignarus
cupiditati non succumbat. Sed sibi misericordiæ open
bus, quasi ramis virentibus, in arcem cœlestis Hierusalem
viam sternat: ubi laudibus excepta angelicis, magni Imp
eratoris thalamum æterna inducatur lætitia.

Vt hoc fieri valeat, vigilare debet huius inquisitorum
garitæ, non inertiae sopitus somno, dormitare: imò sapientia
oratione nocturnis, vel diurnis (horis) pulsare ianuas per
petuæ ciuitatis. Et ianuas apertas inueniet, quas quisque

Apoc. 14.

ab hoc carnali carcere deductus nimium intrare cupiet: quod antè summa diligentia præuiderit choros, obuiis suscipientes manibus animam, ad deducendum in cubiculum regis, æternis fruituram gaudiis. Perpetuumque laudis canticum decantabit, in præsentia sui sponsi dicens: Benedic anima mea Dominum: & omnia opera eius, in omni Psalm. 102. loco dominationis eius benedic anima mea Dominum. Vivas, valeas & floreas virgo nobilissima in Christo.

EPISTOLA LVIII.

Paulinus

DVM feruentis Sancti igneus sol sidus ascendit, & nimio, diurnoque calore arida tellus imbræ expectat: sicut tua, pater optime, in refrigerium magni amoris, sitiens in meo pectori voluntas, tuæ beatitudinis diu desiderabat literas: iterum, atque iterum per singula horarum momenta æstuans hoc reuoluebat elogium. Quando venient desiderati mei dulcissimi apices? quando videam signa salutis dilectissimi mei? Quando mihi Ausoniae nobilitatis pagina optati prosperitatem ostendet amici? ut videam, si aliqua fœderatae in Christo amicitiae, in illius pectori maneat memoria: si Albini sui nomen stilo charitatis in cordis arcano reconditum habeat; sicut suauissimum PAULINI patris nomen perpetua dilectione in corde filij æternis viget literis inscriptum.

Ecce venit, ecce venit paternæ pietatis pagina, quam diu desiderabam, omni melle palato meo dulcior, omni obryzo oculis honorabilior. Hanc lætus ambabus accipiebam manibus, & toro amplectebam pectori: suspensus, quid mihi de me conuinctaret Paulino: solutisq; sigillis, audis-

Q. 2.

OCU-

oculorum obtutibus, per singulas lineas iter aperui, deltabilemque optatæ salutis sospitatem patris agnoscens; in his mox singulis literarum apicibus, oscula libabam: totumque me Domino Christo, in gratiarum effudi actiones, cens: Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.

Et quia antè humiliatus fui in tristitia, nunc exalsum in lætitia. Et si quid pleno charitatis modio superdi potuisset, cumularem utique primam dilectionis plitudinem, noua abundantia lætitiae. Nouit itaque, quicumque mellifluo charitatis iaculo vulnera, omni fauo dulcita in corde accipiet, non me auctumnali frigore flacciverborum folia, in huius chartulæ exaggerare gremium sed de viuo veritatis fonte, ad irrigandos veræ flores dilectionis, hæc prona pectoris mei dextera haurire: quatenus mei magni amoris stillicidium tuis infunderem vilibus.

Plurima mihi de sanctissimo cui cordis epithalamiorum fluo nectare exundantia protulisti exempla, ut verius RISTOTELICVM illud in te videam impleri proverbiu qui acutissimas perihermeniarum scriptitans argumentationes, dicitur in mente calatum tinxisse.

Te vero agnoso de æterno charitatis thesauro affenter noua proferre, & vetera, & in fide fraternali amoris nam tinxisse pietatis. Tuum vero sanctissimum cor est repromissionis, sapientiae melle manans, & suauissimæ charitatis luce redundans, in qua verus, & gloriosus Salmon, virtutum gemmis templum pulchræ habitationis maiestatis construxit; non calce, flamma periturum; in æterna pace permansurum. In quo sancta sanctorum fundato, & vero Pontifici soli Christo peruvia, non semel in anno, sed semper in æternum. Ibi arca sapientiae, & duorum

Psalms. 50.

Matth. 13.

Hebr. 3

tabulæ testamentorum. Et hæc omnia Cherubin in multitudine tegunt scientiæ. Horum subter alas diuina populi oracula respondent, & flumina viuentis aquæ ad salutem *Ioann. 4.* sicutibus salient æternam. Quò, qui sitiatur, de aridis terrarum ignorantiaæ partibus veniat, & bibat.

Quid in râm affluenti tui cordis thesauro non inuenitur? cuius habitator ille agnoscitur esse, in quo sunt omnies thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi: qui habet clavem David; aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit. Qui vel ad profectum aliorum perpetuæ linguam eloquentiæ charitatis clave aperit; & quæ vult in arcano pectoris tui thesauro clave sapientiæ claudit.

Hæc sanctissima somniantis Jacob scala, per quam cœlis secesserat septenis spiritualium charismatum gradibus piâ penetrare solet intelligentiâ: & iterum, ad ædificationem subiecti sibi populi fraternali amoris passibus descendit; ut siat doctor Ecclesiasticus diuinæ contemplationis cum *Gen. 28.* Maria compos, & iterum cum Martha Dominicæ mensæ *Ioan. 12.* coniuua sedulae administrationis sollicitus.

His duabus alis Sanctorum animæ cum magna meritorum gloria ad cœlestis regni beatitudinem quotidiè ferruntur. His etiam seculi huius procellosos gurgites transiunt nauigio, & ad portum perpetuæ quietis cum virtutum mercimonii peruenient.

Sed vereor, quod sine maximo cordis dolore non dicere, me ulterius in hac vita tuæ beatitudinis faciem non visurum, quia in via diuisionis iter agimus laboriosum, & per vallem lacrymabilem ad incertum properamus finem; & citò fragilis caro, vnde sumpta est, reuertetur: & omnis *Psalms. 103.* decor illius vrente percussa vento flaccescet, & ibit homo *Iob. 27.*

O 3

in

M.C.A.N.J.
S.I.I
9M9 4M2.9
SIV
24

in domum æternitatis suæ. Et circa eum stabunt in dor-
plangentés; & spiritus reuertetur ad Dominum, qui di-
dit illum.

Vbi tunc illecebræ carnalium delectationum? vbi
cularis pompæ superba ambitio? Nonnæ hæc omnia
luti fumus ventosis procellarum in aërem dispersus gur-
tibus euaneſcunt. Et quantò plus quislibet hæc vana de-
lectabilia amabit in mundo, tantò magis ea, æterno pa-
ſentatus iudici odio habuerit. Beatus, qui necessitatē
vertit in voluntatem; & ea, Christi amore compunctus
voluntariè amiserit, quæ debita cogente morte amille-
rus erit.

Hæc, meæ miseriæ memor, lacrymosis dictaui quere-
lis; non vt te, quod opus non est, ex meis corrigeres disti-
sed ut mecum me ex meis plangeres iniquitatibus; & pa-
ſcentem in regione longinqua omni in immundicie po-
cos, tuis, ô sanctissime adiutor, precibus subleuares, &
paternæ pietatis epulas diu periclitantem reduceres.

Adhæſit itaque oculo cordis mei puluis cogitationum
iniquarum: vt summum beatitudinis bonum nec viden-
nec amare perfectè valeat. Si viderem, utique amarem
sed à te, qui spiritum ab eo consolationis accepisti, qui vult
omnes homines saluos fieri, affiduæ orationis suffragia fle-
gito: quatenus æternæ pietatis medicus collirio suæ mi-
ricordiæ inungat oculum, iniquis obcæcatum cupiditatib-
us: vt verum perpetuæ bonitatis lumen videre valeat, &
amare, quod videat.

Memento mitissimam Samaritani mentem, qui vulne-
ratum, omniq[ue] præſidio destitutum, oleo & vino fou-
bat, pietatis fascia ligauit, leuavit in iumentum, duxit in sta-
bulum; duos pro eo dedit denarios, vt curaretur. Quid
hac pietate mitius, quid hoc exemplo salubrius? Ecce cre-

Luc. 15.

2 Tim. 2.

Luc. 10.

ator omnium in premium se ipsum tradidit hominum, ut eos liberaret, quos creauit. Fateor me vnum ex illis, quos redemit. sed dum alienæ audius pulcritudinis Chanantidas ex paterno tabernaculo perrexerat videre, lupi me vespertini inuenerunt, rapuerunt, lacrauerunt, vulneratum dereliquerunt. Tandem aliquando diuina præueniente gratia, in memet reuersus, dixi: Surgam, & ibo ad patrem *Luc. 15.* meum, teque, mitissime pastor, in hoc iter, sicut prædicti, ductorem te posco.

Potuit igitur idem Lazari soluere vincula, qui eum de *Ioan. 11.* monumento prodire iussit. sed ut potestatem soluendi, sanctos habere doctores demonstraret, circumstantibus dixit: Soluite eum, & finite abire. Tu vero, egregie pastor, solue, subente Deo, mortiferas mihi peccatorum catenas, ut liber, viteq; redditus, & inter coniuas Domini Christi in eternæ beatitudinis epulis recumbere mercar.

EPISTOLA LIX.

Venerando viro Paulino † pa-

[†] Aquileiensis.

triarchæ

ALBINVS SALVTEM.

ACCEPIS sapientiae vestræ apicibus, & charitatis muneribus per hunc, huius præsentis chartulæ gerulum, valde gauisus, cognoscens prosperitatem vestram, & memoriam nostri, quam semper paterna pietate ut habeas in orationibus sacris supplex obsecro: memor semper benignæ deuotionis, quam Iob habuit in *Iob. 1.* filios suos. Salus filij, merces est patris: & laus genitoris, *Proverb. 10.* filius sapiens.

Præ.

CC. C. A. N. J.
S. J. J.
om. 1. m. 9.
S. IV
Z. 4

Præsens verò portitor literarum, vestro auxilio, & pro
trocinio nostræ sit commendatus petitioni. Ipse viuo of
cio linguae, nostras, vel suas vobis ostendet necessitatem
Maiorem nostræ salutationis seriem ENGILBERTVS filius
communis noster ROMAM iturus, volente DEO, vobis
dirigit: sed nulla chartula sufficit charitatis effari dulced
nem: quam pleno ore anima mea de tuo hauserat pectora.
Testis est veritatis ille spiritus, per quem charitas diffundatur
in cordibus nostris.

*Viuedo felix, felix, pater optime, viue,
Atq; memor nati semper, ubique, Vale.*

Rom. 5.

EPISTOLA LX.

Domino in Domino dominorum dilectissimo, & pio patri Paulino Patriarchæ
salutem.

MIDEOR aliquod me refrigerium habere animi mei
vt flamma charitatis in corde abscondita aliquando
fortasse scintillam elicere valeat: ne totum torpe
scat, quod intus ignescit, dum oportunum mihi tempus
aliquid tuæ scribere charitati, occurrit.

Quid? Cum beatitudinis vestræ literas omni fauori
ciores intueri mereor, nonne video mihi inter variosp
radisi flores totus conuersari, & auida desiderij mei dextera
spiritales exinde carpere fructus? Quantò magis cum
sacratissimæ fidei vestræ libellum recensui, catholicæ po
eis puritate ornatum, eloquentiæ venustate iocundissi
mum, sensuum veritate firmissimum: totius animi mei la
benas in lætitiam laxauit. Vbi de uno lucidissimo, & salu
berrimo paradisi fonte, quatuor virtutum flumina, non so
lum Ausoniæ fertilitatis prata, sed totius ecclesiasticæ lat
itudinis

tudinis rura irrigare conspexi. Vbi & auriuemos spiritu-
lum sensuum gurgites gemmis scholasticæ urbanitatis ab-
undare intellexi. Quamplurimis vero profuturum, & per-
necessariū fecisti opus, in Catholicæ fidei taxatione, quod
diu optauī, & sèpius Domino REGI suasi, ut Symbolum Ca-
tholicæ fidei planissimis sensibus, & sermonibus luculentis-
simis in vnam congereretur chartulam, & per singulas Epi-
scopalia regiminum parochias omnibus daretur pres-
byteris legendum memoriamque commendandum. quatenus licet lingua diuersa loqueretur, vna tamen fides ubique
resonaret.

Ecce, quod mea optauit humilitas, vestra impleuit sub-
limitas. Habet apud salutis nostræ auctorem, perpetuam
scilicet & huius bonæ voluntatis mercedem, & huius per-
fecti operis apud homines laudem. Semper feruentissima
charitas vestra castra perpetui regis vndique inuictissimis
fidei clypeis muniat: ne, antiqui hostis versutia, aliqua ex
parte aditum suæ nequitia inuenire valeat. Et si ille mille
habet artes nocendi, multò magis nobis necesse est, mille
habere artes defendendi: credentes in eum, qui ait: Con- Ioan. 16.
fidite, ego vici mundum. Cuius pietas nobis præuide-
bat agonis tempus transitorium: & remunerationis esse
perpetuum. Ille, prior calcavit caput leonis, & draconis:
nobisq; dedit potestatem calcandi super serpentes, & scor-
piones; & omnes hæreticas prauitates, quæ sunt portæ in-
feri, superandi.

Tu vero, vir DEI Apostolice, hac armatus potestate,
viriliter pugna, fortiter vince, vt feliciter regnes cum Chri-
sto. Heu proh dolor, multi solent desuper cōtextam Chri-
stianicam hæreticis scindere vnguis, & in pace Ecclē-
cias facere, quod milites in passione Christi non ausi sunt
facere.

P

facere.

UCCASUS
SII
Mm. m.
SIV
24

Luc. 10.

facere. Quapropter venerande pater, & doctissime athleta, & dulcissime doctor, simus semper in castis Christi manipulares, & in una acie, sub vexillo S. CRVCIS concendi consilio, & virtute præliantes, ut suos aduersarios per vincat, qui vinci non potest.

Nunc iterum antiquus serpens de dumis Hispanicis, & de speluncis venenatae perfidiae contritum non Heclea, sed Euāgelica clava caput repleuare conatur, & prior nequitiae poculis, nouæ maledictionis toxica immixta, sed & frigidissimus Aquilo ventus alio de latere, solidæ in clesiæ impellens parietem, sacri baptismatis, catholicae suetudinis, regulam immutare nitens: & sub inuocatione sanctæ Trinitatis, vnam asserentes mersionem fieri debet triduanamq; nostri Salvatoris sepulturam in baptismo imitari negligentes: cum Apostolus diceret: Conspulti estis cum Christo in baptismo.

Alij verò trihā volentes facere mersionem, & in quaue mersione inuocationem sanctæ Trinitatis: ac post hoc totas tres personas nominare studentes, dum ipsa ueritas præciperet: Ite, docete omnes gentes, baptizantes in nomine patris, & filii & spiritus sancti. Quid opus est replicare, quod semel dictum sufficit?

Est quoque in quibusdam clancula dubitatio, an amæ sanctorum Apostolorum, & Martyrum, aliorumq; profectorum ante diem iudicij, in cœlesti recipiatur regnum His & huiuscmodi spiculis, de pharetris (ut æstimo) remis perfidiæ, vnitatem sanctæ & catholicæ Ecclesie, & veritatem vniuersalis fidei aliqui vulnentare nitentes, etiam & spuriissimis errorum facibus impidissima Ecclesiasticæ fiducie.

Rom. 6.
Colof. 2.

Matth. 28.

fidei pocula inficiunt: & nuptriale vinum, quod Christus ex aqua virginis Matri, Ecclesiae scilicet sancte salubriter Ioan. 2. potanda conuertit, iterum in aquas stultitiae conuerti conantur.

Sed tuum est, ô pastor electe gregis, & custos portarum ciuitatis DEI, qui clauem scientiae potentem dexteram tenes, & ut lapides limpidissimos laeva recondis, blasphemantes exercitum DEI viuentis Philistaeos in superbissimo Goliath uno veritatis iactu totos conterere. Nostrum est eleuare cum Moyse manus in coelum, humilitatis precebus te adiuuare, & spectare cum David in munitissima ciuitate..... donec speculator ex alto culminis fastigio clamitans, nobis tuam annuntiet victoriam.

Ad te omnium aspiciunt oculi aliquid de tuo affluentissimo eloquio cœlesti desiderantes audire: & feruentissimo sapientiae sole, frigidissimos grandinum lapides, qui culmina sapientissimi Salomonis ferire non metuunt, per te citius resolui expectantes. Tu vero lucerna ardens, & lucens, nos in tua luce exultare gaudemus, vt te lucente, & ducente ad lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, eiusdem aeternæ lucis gratia adiuvante, peruenire mereamur.



P. 2

EPI.

Dilectissimo patri, & pio Pontifici Paulino
patriarchæ.

ALBINVS VESTRÆ FILIVS DILECTI-
*onis perpetuae in Christo prosperitatis
salutem.*

Ioan. 7.

Si quotidie tuæ beatitudinis præsentia vterer, nu-
quam tunc mellifluo ex ore tuo dulcedine satiaris
sed quantum auida mens ex fonte vitalis vnda-
beret, tantum sitis addita cresceret. At nunc ranta loci
rum spatia vicariæ colloquutionis familiaritatem diuidunt
ut vix pergentis chartulæ gerulus inueniatur. Et in angustiis
pectoris antro charitatis olla feruerescit; nec habet, quo fa-
gorem sui splendoris ostendat, cui coctas charitatis epula
apponat: & quodammodo abundantia suavitatis verba
in esuriem amaritudinis. In pampinis vitis florescit, sed con-
tor huius vineæ in fructuosa vuis non te pascit. Agricola
niones eruit de gloria, sed aurum in opus coronæ defec-
Nouit, qui mecum talia patrum, quid hæc significare ve-
lunt paradigmata..... Fortè & harum lector literam
talem se memorat, qualem me agnoscit in illis, & maxime
tu, pater sancte, de cuius corde fons vita emanat, chani-
& flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et qui hæc
consolationem speci nostræ promisit, tui est inhabitator po-
etoris, qui est virtus, sapientia Deus; in cuius potentia,
gratia mirabiliter de Auarorum genere triumphatum est
quorum missi ad dominum Regem directi subiectionem
pacificam, & Christianitatis fidem promittentes. Et
hoc, diuina eos præueniente gratia, verum est; quis se feli-
uorum Dei tam pio, & laudabili labore subtrahere debe-

vt diaboli diruatur sauitia, & Christi Domini crescat seruitum?

Sed quam plurimorum in te, pater optime, oculi respiciunt, quid vestra veneranda sanctitas facere velit. Quia & vicinitas locorum tibi competit, & sapientiae decus suscepit, & auctoritatis excellentia tibi appetit, & cuncta conueniunt, quae tali operi necessaria esse videntur. Ideo meae paruitatis curiositas propterea huius sanctae rei desiderat veritatem, & tuæ consiliū depositit prudentiam, vel quid exinde agere tam bona voluntas deliberatum habeat, agnoscere flagitat. Opus enim arduum est, sed ipsa attestante veritate: Omnia scimus esse possibilia credenti. Et qui de persecutore fecit prædicatorem, & de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus. Ipse potest de arida cordis mei caute riuulos viui fontis, & in vitam salientis, producere, æternam: quætò magis de vestro pectori abundissimo flumina Gehonica fluentia per totam Nilotici ruris latitudinem ad fecundandos diuersi generis flores, diffundere valet.

*Marc. 9.
1. Tim. 1.
Psalms. 112.*

Audiat, obsecro, per te, unanimi tuæ charitatis filius, quid paterna præuideat agendum prudentia. Certissimum itaque consilium salutis per os illius sperari debet, cuius pectoris septiformis consilij inhabitator dignoscitur.

Binas vestrae paternitati paulo ante direxi chartulas. Unam personatum Episcopum HISTRIENSEM; aliam, per virum venerabilem ÆRICVM DUCEM, & velut vetigalia aliqua vestrae beatitudinis exhortationum: ne spreta charitas aliquid rugosa fronte, vel querulo calamo exarare incipiat. Nequaquam in augmentum tristitiae meæ diutius taceas: sed spiritum consolationis tibi à DEO datum, frequenter mihi apices facere almitatis vestrae consol-

P 3

conso-

CCAJ
SJJ
JMJ
SIV
24

consolationis non graueris: vt tuis bonis exhortationibus
& sanctis orationibus adiutus, ad supplementum mercatorum
tibi perpetuae, diuina auxiliante misericordia, vita & tem-
porecum particeps esse mercari.

*Floreat in vestro diuinis pectori donis
Semper in aeternum Sophia, sancte pater:
Et mihi conseruet Christi dextra omnipotens
Incolument, meritum augeat aiberioris.
Donec suscipiat felix te porta dolorum
Qua memor esto semper in ore mei.*

EPISTOLA LXII.

Domino patri Paulino.

ALBINVS SALVTEM.

Ex eo sciri potest quanta mihi esset audiitas loqui
di tecum, si facultatem confabulationis iniquaque
rarum longinquitas non prohiberet: dum in una
dexteram portitoris, propter causas superuenientes, insi-
fimul posui indiculos. Vnum sollicitudinis meæ. Alterum
munusculi mei. Tertium, pro filia mea LIVTGARDE
mina religiosa, ac Deo deuota. Nam illa sanctitati tuae dum
direxit armillas auri obryzi, pensantes xxiv. denarios mil-
liars, de noua monetare regis, quam libram plenam, ut orare
pro ea cum sacerdotibus tuis: quatenus diuina clementia
dies suos disposuisset in salutem animæ suæ, & sanctæ sua-
exaltationem Ecclesiæ. Ego de tua indubius fide, suasi,
faceret. Tu vero pater sancte, mei, & illius me-
mor ubique in CHRISTI charitate
valeto.

EPI

EPISTOLA LXIII.

Paulino sanctissimo patriarchæ.

HVMILIS LEVITA ALCVINVS

salutem.

Absentia corporis non oportet dilectionem diuidere. Quia amicitia, quæ deseriri potest, nunquam vera fuit. Ex quo te sciebam, dulcissime amice, semper amabam: & pepigit cor meum fœdus amicitiae cordituo. Etsi nomen Paulini mei, non in cera, quæ deleri potest, scripsi.

Ne quæso obliuiscaris in tuis sanctis orationibus nomen amici tui Albini: sed in aliquo memoriae gazophylacio reconde illud, & profer eo tempore oportuno, quo panem & vinum in substantiam corporis, & sanguinis Christi consecraueris. Diu dilectionis tuæ exspectaui promissa, hoc est, viuificat crucis, vel aliarum reliquiarum patrocinia. Noli me, obsecro, tanto fraudare munere: nec te veritatis..... Nolo longinquitatem viæ causeris. Chaticas pellas ad volandum inueniet: nec flumina obruent illam. Sufficiunt alæ fidei in palatio regis, quibus nec voluntas debet in accipiendo, nec fides in reddendo. si quid nostra petitio apud vos valeat, & tua semper apud D E M valeat petitio, qui te in tam sublimi statuit gradu, ubi eiusdem D E I Domini nostri Iesu Christi effectus.....

Vide quam sublimè est hoc nomen. Contende meritis esse, quod nomine vocaris. Clama, ne cesses, exalta, quasi *Ezai. 58.* tuba, vocē tuam. sit guttū tuum tuba D E I, prædicta impor-tunè, oportunè. Tu, gallus in prædicatione succinctus in *2. Tim. 4.* castitate: tu aries in veritate fortissim⁹, cui nullus regū resis-tere poterit. Tu, lucerna super cādelabrum in domo D E I. *Luc. 8.* Tua lingua cœlū claudit, & aperit. Aperit primū per prædi-cationis deuotionem. *Apoc. 3.*

Ad

CCASV
SJJ
Wmg. m.
SIV
Z4

Matth. 9.
Luc. 5.

Marci 12.
1. Cor. 15.
1. Ioan. 4.

Tenebr. 19.

Ad exemplum Christi recurre: qui per ciuitates, stella, vicos, villas euangelizando iter agebat: etiam & mus publicanorum, vel peccatorum, propter occasione prædicationis, non abhorruit intrare. Spes præmij solatus est laboris. Quid facio insipiens ego contra philologum prouerbium, ligna in syluam ferens, stillicidiis flumna irrigans? Modulum meum extuli figuræ. Obsecro eius amorem, qui duo minuta viduæ donis diuitum proferebat. Charitas omnia suffert; in qua, qui manet, indumentum manet, quia Deus charitas est.

EPISTOLA LXIV.

Charissimo filio quem serò genui, & cito dimisi.

Ec bene ablaetatus raptus est ab uberibus meis. nimior, quam nouerca, tenera, de paternoglio mio, per libidinum vortices, caro rapuit. Hoc proh dolor, quid faciam, nisi plangam pereuntem? Si fornicationis lacrymarum fomentis resuscitari possit.

Vix carni, quæ non timet sulphureos quinque urbis ignes, vel poenæ infernali tormentorum flamas. Sugete te ipsum, obsecro, huius timoris catenis; & tenta, quomodo vel unam ardoris scintillam sufferre possis: & cogita, quid sit, si totum corpus æterno crucietur incendio. Respicce tandem, & noli consentire ei, qui tibi talia parat in eencia: sed magis castiga te ipsum; & paternis acquiesca obsecrationibus: & Dei oculis te semper præsentem cognosce, & ante sanctorum angelorum aspectus.

Erubescere in conspectu illorum facere, quæ horreficere in conspectu cuiuslibet hominis perpetrare. Scio, quod dicum credis omnibus esse futurum: & te credis inter-

ates, qui talia egerunt, qualia tibi quotidie diabolus suadet. Ecce heri fecisti voluntatem carnis tuæ; hodie vadis in incendium ignis æterni.

EPISTOLA LXV.

Dilecto amico salutem.

PLACIT caniciem vestram parua salutationis chartula appellare: sed non paruo charitatis officio: ut sciatis, licet longè positum, vestri tamen habere memoriam, & familiaritatis non obliuisci, quam præsentes suauissima dilectione & consolatione nos inter habuimus, firmam semper inter nos permanere in Christo charitatem: nec quolibet vento falsiloquij destrui; sed solida firmitate inter omnes huius seculi aduersitates immobilem semper consistere. Nostri memor in orationibus tuis semper valet, frater charissime.

EPISTOLA LXVI.

Optimo Theophilo bis bini Euangelicæ veritatis discipuli, & sanctorum quadrigæ virtutum, fidelium quadriga amicorum plena charitatis naue trans alpinas aquas dirigit

salutem.

ACCEPIMVS dignitatis vestræ chartam, verè, vt agnouimus, charitatis floribus depictam, ac melifluo spiritalis iocunditatis sapore refertam. Unde & nos discipuli sanctitatis vestræ in abundantia toris nectaris, quod ex eius gremio pleniter hausimus, refecti, satiati, valde lætati sumus: agnoscentes cœlestem charitatis thesaurum vestro sufficienter recondi in pectore: & af-

fluen-

Q

fluenter inde per lata terratum spatiæ, flumina salutis doctrinæ emanare, & arida iustitiae fonte sicutientium corrigitare: non septigeno Niliaci fluminis gurgite, sed seiformi sancti Spiritus inundantia viuentis aquæ fluente, intactam salientia sempiternam: vnde & lucidissima A postoli fidei pocula nobis propinare larga pietate studiisti: quod cum omni charitatis auditate accepimus, & cum magistrorum actione potauimus.

Nec vnius paruissimi, & variis motibus vibrantis in le spurcitiam atomi offendimus in eis, sed crystallina puretate micantia, ita ut superni solis radiis, nostri cordis chnos mirabiliter illuminauerit.

Hæc considerauimus diligentius, & desiderauimus dentiūs; legimus sæpiùs, & elegimus semper: & lætitiam laudauimus Dominum, qui solita pietate tale lumen nostrum concessit laboribus. Quapropter intentiūs precamur, ut ceat lux tibi à Deo data sapientia, ex corde charitatis tu per os veritatis tuæ; ut omnis auditor ædificetur, & sol omnium dator bonorum glorificetur in te, & per te.

Sæpiùs ad nos currat charta exhortationis tuæ: nec am alpinum frigus, vel viarum asperitas, vel exundatio minimum villatenus impedit. Charitas omnia superat, qua dulcisonum decantauit psalta: Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruerunt lam. Ex abundantia cordis dictando scribat, ut nos ex ligentia legendi ædifieemur.

In calce vero chartulæ huius obsecramus, quod in capite optamus, quatenus nostræ nauigium vitæ, sanctas vestras orationibus gubernare digneris. Nam procella secularium negotiorum tempestas huc illucq; nos agitat falsa nos tranquillitate in salo profundissimæ voragine mergere querens. Sed pius omnium gubernator, & ho-

Cant. I.

manæ semper amator salutis, tuis, pater venerande, exorta-
tus lacrymis, nos, licet indignos, huius fluctuagi pericula
maris euadere faciat; & ad perpetuæ stabilitatis stationem
prospero curiu plenis mercedibus peruenire concedat.

Dextera te Christi semper defendat vobis,
Protegat, atq; regat felix tu rive, valeto.

EPISTOLA LXVII.

Literæ commendatitiae ad amicos.

Fraternæ dilectionis amicis per diuersas nominum di-
gnitates,

*ALBINVS CONSERVVS IN CHRISTO
vester salutem.*

LICE t terrarum longinquitas diuersas Christianorum faciat habitationes: tamen sanctæ charitatis societas, sub uno pastore Christo, vnum eos facit esse gregem. In cuius fiducia, vestræ pietati per precatoriæ nostræ paruitatis literas, hunc missum nomine, ill. diligentissimè commendo: vt dilectionis vestræ iuuamine suffultus, facilius sanctæ peregrinationis viam peragat, & vestræ bonitatis merces ante oculos omnipotentis Dei au-
geatur. Qui est via, vita, & veritas, vobis viam vestræ Ioan. 14.

salutis ostendere, & requiem æternæ gloriæ
tribuere, & beatissimam vitam
concedere dignetur.

OS(?)S.

?

L. D. & B. MARIAE S. Virg.

Q. 2

ED.

CCASU
SJI
MNG 1729
SIV
24